6
19-d
74

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21
36

.d.74

XXXIV. I. 17

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI

POEMATA.

ELEGIARUM LIBRI II.

HENDECASYLLABOR. LIB. II.

TUMULORUM ET EPITAPHIORUM LIB. I.

EPIGRAMMATUM LIB. II.

METIS,

Excudebat Abrahamus Faber.

M. D. XIC.

Cum Privilegio Regis.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

PAVLI MELISSI

COMITIS PALATINI, EQUITIS TORQUATI, ET CIVIS Romani, in Poëmata Iani Iacobi Boiſſardi, Hendecaſyllabum.

AD IACOBVM PASCHARIVM Medicum Lotharingum.

SEV ſtylo vel acu decente pingat
Vividas animantium figuras,
Sive carmina doctiora fingat
Boiſſardus cedrinis inuncta ſuccis:
Seu quæcunque ſagace mente gignat
Priſcis lemmata comparanda ſæclis,

Pictores ſimul,& ſimul Poëtas
In ſui rapit incitos amorem.
Sic magnes trahit obvium metallum:
Sic fax Palladios bibit liquores.
Naturam intuitus putabis artem,
Non artem : ſed ubi intuéris artem,
Naturam ſuperarier putabis.
Paſchari,mihi tolle in uniuerſum
Phœbum Pierideſque Gratiaſque:
Boiſſardus ſubitò novos regignet
Phœbum Pierideſque Gratiaſque.

IOANNIS POSTHI Archiatri Palatini.

IN EADEM.

Cedite Boiſſardo reliqui concedite vates:
Hic omnes unus,judice me,ſuperat.
Vos homines verbis tantúmmodo pingitis: ille
Egregio mentes carmine,& ora manu.

Ejuſdem.

Effigies hominum depingens alter Apelles,
Alter & eſt idem dum carmina fingit Apollo
Boiſſardus geminas tractans induſtrius artes.
Nonne etiam geminos idem mereatur honores?

L AE-

LAELII CLEOPASSI HYDRUNTINI.

NVgas qui ſua ſcripta vult vocari
Boiſſardus, merito ſuos labores
De fraudans precio, ſuáque laude,
Non parùm Aonidaſq; Apollinemq;
Atque ipſas Charitas Cupidinemque
Offendit: ſale ſic facetiiſque
Cuncta temperat & loquace riſu,
Vt & ſeria miſceat cachinnis,
Et doctos Epigrammatum libellos
Suo Bilbilis adſtruat Poëtæ:
Quem factum putat eſſe caſtiorem,
Et mores magis induiſſe puros.
Legat quilibet, utilis jocoſæ
Iuncta lectio cui placet, ſimulque
His conjungier optimè libellis
Diſcat Aonidaſque Apollinemque,
Atque ipſas Charitas Cupidinemq;.

RVTILII SARAVESAE I. C. Veneti.

NOn cuivis Phœbo nec Muſis ſcribere fas eſt
Digna: cienda ſuo eſt Gratia ab Orchomeno.
Non ſatis eſt Latii nervos ſermonis in unum
Cogere, facundi vel Ciceronis opes.

Hęc niſi congeries, pratorum imitata colores,
Lectoris vario tædia flore levet.
Quod ſtudio auctorem ſollerte videbit ad eptum,
Hujus cui fuerit lectio nota libri.
Sic riſu lacrymas, ſic pinxit gaudia luctu,
Sic junxit placido ſeria verba ſale:
Judicet ut quivis Muſis & Apolline dignum
Hunc, & Acidalio rore madere librum.

ALARDI QVINTVLI NARNIENSIS I. C.

SIve legā lepidoſve ſales, ſuaveſque cachinnos,
Seu quæ Pelignis verba canis numeris,
Expleri mentem nequeo: mihi ſic placet illa
Quæ tibi dicendi copia dives ineſt.
Cur nugas, Boiſſarde, vocas quæ Palladis arte
Carmina Aonijs ſunt tibi fuſa modis?
Subſannent ſcioli quę tu tinxti ſale, quodque
Molle ſolet Muſis pectus ineſſe tuis.
Crede mihi, illorum tibi ſunt faſtidia laudi.
Doctis, ſi neſcis, docta placere ſat eſt.

VETVRII LEONTII HYDRUNTINI.

NOn omnes Curijſumus, auſterive Catones,
Moroſo qui dant jura ſupercilio.

Nec

Nec nos Democriti ſemper ſtillantia fletu
Scripta juvant: nec quæ Stoa ſevera docet.
Nec quæ diſcipulis Zeno inculcare ſolebat:
Nec quæ divino protulit ore Plato.
Quamvis Democritus nonnunquam riſerit, atque
In circo viſus ſæpe ſedere Plato.
Factaque & in media conſtat convivia Stoa,
Sæpius & grandes evacuaſſe ſcyphos.
Noſtra relaxari gaudet natura, jociſque
Ac ludo curas imminuiſſe graves.
Idque licet cunctis: modò ſic ſervetur honeſtum,
Deſertor ne ſit vir bonus officij.
Turpia laſcivus ſpectacula facta theatris,
Et digni Satyris cura profana chori,
Aleaque, & media protractus nocte fritillus,
Et vix exorto cœna peracta die,
Ingenuis indigna puto. Sed honeſta voluptas
Eſt, quam culta jocis lectio docta parit.
Nec tamen hæc Veneres nudas, nec ſchemata tractet,
Tenta quibus lumbo vena ſalace crepet.
Libera ſit verbis, mollique inſperſa cachinno:
Vrere felle poteſt, atque madere ſale.
Hæc ita Boiſſardi docto variata libello eſt,
Vt cùm delectet, proſit & illa magis.
Ingenioſè etenim hoc ſic miſcuit utile dulci,
Omnibus ut poſſit non ſine fruge legi.

PETRI FRIDERI MINDANI.

BOiſſarde ingenij exẽplum melioris, atque rarũ
Virorum decus eruditiorum.
Invidiáne tuam motus pateris domi poëſin
Deliteſcere, negligentiáve
Sopitus, tua linquis ſcripta ſitu perire? blattis
Exponens monumenta literarum
Corrodenda? Nefas opera ingenii mori, futuris
Legi digna nepotibus. En bonorum
Quos fructus aliter vel præmia noveris laborum,
Quàm clarum per eos parare nomen?
Cœlo ſancta beat pietas, timor & Dei, & parentum,
Proximíque amor integer benignus.
Conciliant ſeræ ſed poſteritatis, omniumque
Nobilem monumenta ſcripta laudem.
Et laudem quam rara poteſt ſepelire vel vetuſtas,
Vel rubigo, vel igne flamma edaci.
Sunt ubi pyramides, ductíque per aërem Coloßi,
Mauſolique ſuperbius ſepulchrum?
Turris ubi Pharia eſt? Babylonis & alta mœniúmq́;
Moles? templum ubi, quidve jam Dianæ?
Quin neque tantarũ vel nomẽ & umbra parva rerũ,
Scriptorum ſine literis, vigeret.
Publica fac igitur quæ ſcripta domi tenes, premiſque
Clauſis pulverulenta ſub tablinis.
Omnia, quicquid habes, fac publica: cuncta ſunt pro- *(batis*
Doctiſque ingenioſa cogitatis.

Non

Non tuũ inutilibus, Boiſſarde, oneras poëma nugis;
Sed morum ſaluberrimis refertum
Præceptis, celebrat dignis benefacta nominatæ
Perſonæ titulis, bonoſque amicos.
Nec tamen interea deſcribere deſinis modeſtè
Mutandos hominum & notare mores. (darti
Nominibus fictis ſed Hypocritæ, & Omphaces, Ny-
Fucos exprimis, atque fraudulentos.
Namque tui hoc ſemper tenuêre libri, maligniore
Nulli ſcommata dictitare morſu.
Tu ſimul immiſces benè convenienter hinc & inde
Argutoſque ſales, jocoſque, riſus.
Omne tulit punctum qui miſcuit utile & jocoſum.
Severique jocantur & Catones.
Inde tuos multi celebrâre Epigrammatum libellos
Dactylo celebres, levi & trochæo.
Et ſimul adjunctos quis non elegos, epiſtolaſque
Ob venam coluit diſertiorem?
Et tua lector amat q; Emblemata plurimus frequẽſq;
Facta Emblemata ſub poëſi utráque.
Iudicij ingenij manuumque ſimul ſtupet potentes
Naturam tibi ſic dediſſe vires.
Ingenij exemplum rarũ, graphide atque acu &, poëſi
Te uno tot ſuperarier magiſtros:
Sed doctum antiquæ quando hiſtoriæ volumen exit?
Et diu meritas videbit auras?
Sæpius hoc celebris petit alter Horatius Meliſſus,
Clarus Pindarico Cycnus cothurno.
Omneſque hoc poſcunt: Vario quia colligit labore
Antiqua monumenta ſculpta ſaxis,

Denique Cæſareos vultus, facieſque clariorum
Noli ſupprimere altiùs virorum.
En tibi preſentes quid non Epigrammatum libelli,
Subtiles Epigrammatum libelli.
Conciliant culto cum nomine laudis atque honoris?
Carmen nam facis elegans acutum.
Concertēt Elegis quicūque volent, metriſve, Regum
Certent ſcribere facta maximorum.
Iudice me, lyrico nullus pede celſior Meliſſo:
Puro mirificúſne Duſa Iambo?
Boiſſardus palmam rapit Hendecaſyllabi virentem
Artifex Epigrammatum hic magiſter.

POMPONII RICII NOLANI.

PVblicâ qui tractas urgente negotia curâ,
Cui gravis incumbit nocte diéque labos:
Vt renoves animum, & longè a te tædia pellas,
Perlege Boiſſardi carmina, lætus eris.
Tu quoque languentem quem res privata fatigat,
Quemque ſuæ retinent otia pigra domi:
Tempora cùm ignavæ dederis ſelecta Vacunæ,
Heic ludet genius non ſine fruge tuus.
Seria ſi poſcas, heic Stoâ digna legentur:
Ludicra, & heic riſu tu potes uſque quati.
Et quamvis nugas hæc auctor ſcripta vocarit,
Mille his lectori commoda propoſuit.

Præ-

Præcepto vacua eſt nulla heic pagella ſalubri.
Laudat virtutes: arguit aut vitia,
Quæ depravati corrupta licentia ſæcli
Sancto Virtutis nomine diſsimulat.
Denique cùm decies perlegeris omnia, dices
Atqui iterum decies ſunt ea digna legi.

PAVLVS MELISSVS IN Boiſſardi effigiem.

AD NICOLAVM REVSNErum Leorinum.

CVjus heic labia & genas, comamque,
Reuſnere, eminulam virente lauro
Admirantibus inſpicis Camœnis,
Boiſſardus meus eſt vetus ſodalis,
Amicuſque bonus velutque frater.
Mî verſatur in evidente lingua:
Inque ipſis oculis perenne fertur.
Omnis hæret in intimis medullis:
Diverſo varius colore pictor,
Veſtium Phrygio nitore textor,
Carminum Latio decóre fictor.
Ternis muneribus remuneravit
Me ſodalis amicus atque frater,
Pictura, & Phrygia plica, & poëſi.
Quei diſcederet a ſonante lingua?

Quei relinqueret is meos ocellos?
Aut quei deſereret meas medullas?

IACOBVS PASCHARIVS MEDICVS, IN EANDEM Effigiem.

EXimius Phaëthonta Myron depinxit: at ejus
Non potuit vires docta notare manus.
Boiſſardum expreſſit pictor: decus atque labores
Scire quidem potuit, pingere non valuit.

PETRVS LEPIDVS METENSIS, IN EANDEM.

PIcta heic ſpiranti quæ cernitur arte tabella,
Boiſſardi vivus exprimit ora typis.
Ingenium ex ſcriptis, lector, cognoſce: ſimulque
Veram animi obſerva & corporis effigiem.

LAELIVS CLEOPASSVS HYDRVNTINVS.

BOiſſardi egregia ora pinxit arte
Spirante in tabula & fere loquente

Natura

Naturæ æmulus artifex. Quid, inquit,
Bella in nos Lacheſis parantur iſta.
Hém! reſcindere noſtra ſic licebit
Iura cuilibet? & Iove improbante
Audebunt homines vigore magni
Confiſi ingenij, peculiare eſt
Quód Diti eripere? & negare morti
Quod mortis proprium eſt? Deis nec ipſis
Conceſſum facinus. Licet: patratum eſt
Immortale opus. Ah, fatiſco ſenſim.
Vita in perpetuum tibi erogata eſt,
Invitis etiam, Iacobe, Fatis.
Scriptis ut tibi ad aſtra iter paraſti,
Magnus ſic ſtatuit tibi perenne
Sculptis nomen ubique Apollodorus.

MICHAEL CORMAEVS PAXIVS PANNONIUS.

Hac facie, his oculis animi teſtantibus amplas
Dotes Boiſſardus conſpiciendus erat.
Protogenē, Zeuxin, Polygnotū, Euphrænora Frācus
Vicit, Apellæum quando peregit opus.
Quòd ſi virtutes animi fas pingier eſſet:
Qualis & o quantus, Iane, futurus eras!
Cui Muſæ victura parant, quæ lingua diſertē
Eloquitur, docilis pingit & illa manus.

Finge tuas nobis Veneres, aut ſiquid amicum
Ex tali pectus vendicat arte ſibi.
Candorem nemo melius, cui cognitus, uno
Pingere Cormæo qui potuiſſet, erat.

IOANNES SARACENVS RUPELLANVS.

NOn hæc Boiſſardi, quam tu admirére, figura eſt:
Ingenio melius pingitur ille ſuo.
Corporis iſta quidem eſt: animæ ſed doctius umbram
Viro expreſſerunt propria ſcripta typo.
Atqui ut perfectum mireris ſculptile, membris
Iunge animam: & totus ſic tibi pictus erit.

PHILIPPA LAZAEA POLANA ILLYRICA.

HEm: quid aſpicio? labella cuja hæc?
Tincta Cecropio labella melle.
Cujus ſunt oculi lepóre pleni?
Hæc ſpirantia cujus ora? nonne
Picta eſt hæc facies mei ſodalis
Boiſſardi? facilis Camœna cujus
Manum inſtruxit Apolliníſque doctam
Indulſit citharam: Hercle Ianus iſte eſt

Natus

Natus Sequanica Veſuntione.
Vivis, Iane, igitur tuoſque vultus
Expreſſos tabulis Apollodori
Totus noverit orbis: At pol illos
Terſis carminibus tuæ Thaleiæ
A morte interituque vindicaſti.

RICHARTVS BOISSARDVS.

CVi ſerves Epigrammatum libellos,
Frater optime, cui tuos labores
Condas unanimi rogant ſodales.
Nonne út tu potiare ſolus, & nos
Illis perpetuô ſinas carere?
Ingratus patriæ, & tuis amicis
Dicéris meritô, niſi fruamur
Excultis opibus tuæ Camœnæ.
Dum vivis benè fac quibus licebit.
Nam ſi morte graveris, & relinquas
Quantum auri Tagus, auriferque vectat
Pactolus, veniet nec hic nec ille,
Agat qui tibi gratias ſepulto.

AD LECTOREM.

QVI ſcatere libros probabit iſtos
Mendis, cenſor erit bonus. Fatebor
Negligentiùs exaratá multa
Eſſe, ſed veniam ſimul precabor.
Ludo liberiùs licentiúſque.
Heic oratio nec mibi inſtituta eſt,
Qua ſcriptis ſacra myſticis recludam,
Sanctis quæ doceant libris Prophetæ.
Lectori damus hæc minùs ſevero.
Qui dum tres leget, aut duas, vel unam
Pagellam, idque obiter cibis remotis,
(Plures quis legeret niſi otioſus?)
Incidat precor in jocoſiores:
Vt proſit rudibus jocus ſalebris.
Sed ne decipiaris, eruditum
Nihil invenies: meras leges heic,
Quas proment tibi noſtra ſcripta, nugas.
Nugas cur tetrica exigas ſtatera?

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI ELEGIARVM LIBER primus.

AD ILLVSTRISSIMVM POTENtiſsimumque Principem

IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bauariæ, Comitem in Veldens & Sponheim.

DVM venerabundum gemmati aurata cadurci
Purpura te circum, Dux radioſe, tegit:
Aulaque diſtinctis fulget tua conopeis,
Diuerſiſque micant atria marmoribus:
Sancta Themis dextrum ſtipat latus: & tibi lævum
Maieſtas firmo roborat imperio.
Et confert ſceptrum, fulva quod iaſpide cultum
Aſtræa æternum munus habere dedit.

Non tantùm e ſolio magnorum reddere avorum
Reſponſa,& populis pandere juſſa iuvat:
Sed tibi Caſtalidumque cohors, & doctus Apollo
Perſonat aurata cantica ſacra chely.
Auſpicijsque tuis Aganippidos Hippocrenes
Antiquum priſco fulget honore decus.
Macte animi, Princeps, virtute: tibi iſta paratur
Gloria, de qua olim fama loquatur anus.
Namque pius paßim doctorum præſes inaudis:
Arbitrio exponunt qui ſua cuncta tuo.
Inter quos ſi me recipis, ter clarus habebor:
Tuque mihi magni numinis inſtar eris.
Et ſtudij poſthac dives dabis argumentum:
Teque iuvante mihi vena diſerta fluet.
Culta laboratis tranſcribat carmina chartis,
Qui regum inflata publicat acta tuba:
Martia ſanguineo committat prælia verſu,
Atque metum & lacrymas pagina lecta ciat.
Et gerat Aoniam lauri de frunde coronam,
Et praeat meritæ laudis honore prior:
Huic palma tribuam precium, cedamque libenter:
Nec mihi erit ſcriptis hunc coluiſſe pudor.
Non inter primos numerari poſco poëtas:
Muſa etenim non eſt ambitioſa mihi.
Multum erit utatur ſi te lectore benigno:
Et cùm non poßis omnia, multa probes.
Sique tuo exemplo de doctis unus & alter
De multis laudet paucula, lætus ero.
Et dicat, grandem ſapiunt non iſta cothurnum:
Eſt illis quædam gratia iuncta tamen.

Et genium ſale cultus habet liber iſte, poteſtque
Vivere, nec ſcombris tegmina curta dare.
Id mihi nempe tuo continget munere: nām te
Vindice non fuerit mî grauis invidia.
Sed vatis titulos ultro concedet Apollo:
Et Muſæ, & ſera poſteritate fruar.

AD EVNDEM ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM.

In Genealogiam Palatinæ gentis.

SI niſi ſe dignos aſpernaretur honores,
Supremo caderet victima nulla Iovi.
Nec ſuperûm templis ferrentur dona, nec ulla
Strideret ſacris pinguis acerra focis:
Illi animum ſpectant, quæ laudatiſſima doni
Pars eſt: per ſe ſunt cætera grata minus.
Votivis crepitet virgo ſi laurus in aris,
Cecropiam placant Attica ſacra Deam.
Conciliatque ſuum Gortynia turba Tonantem,
Mollia Panchæo thura vapore cremans.
Et libo contenta brevi Iovis uxor: & alma
Mitior eſt pauco reddita farre Ceres.
Nec Baccho gemmis (quamvis devicerit Indos)
Sed modico ſolitum eſt rite litare mero.
Nec quenquam e Divis hominum curaſſe videmus
Munera, ſed mentem pectoris atque fidem.
Offerimus tibi ſic, Princeps clariſſime, donum
Quod non ingratis charta dabit numeris.
Magnus Otho fuerit qua natus origine pandit:
Stirps eadem vobis, & genus extat idem.

Exprimit illuſtres Heroas imagine viva,
Clara Palatinæ quos tulit aula domus.
Magnorum ſeriem tibi pagina promit auorum:
Sanguinis agnati grande recenſet opus.
Heic videas habitus, & nomina nota tuorum,
Teutonicis leges qui impoſuere plagis.
Frænaque manſuetis rexerunt mitia habenis:
Et dici patriæ ſic voluere patres.
Si per ſe ſpectes, res non eſt magna: fatemur.
Indigna eſt titulis non tamen illa tuis.
Cúmque animum dantis, Princeps, trutinare videris
Non precium, magnos ſic imitare deos.

AD PRISCVM.

PRiſce, tuas fugiam quod dudum ruſticus ædes,
Nec quo conſueram te priùs ore canam,
Succenſes, faſtu meque inſectaris acerbo:
Et tumidum Galla me levitate vocas.
Dum commune fuit nobis ſtudiumque fideſque,
Te colui: ſed tunc tu mihi amicus eras.
Teque loco ſemper quocunque, quibuſlibet horis
Viſere juſſus eram viſere dulce fuit.
Atque meas læto nugas recitare cachinno,
Et placida nugas excipere aure tuas.
Nec timui cœlum ventis ſpirantibus, eſſet
Frigore ſeu boreas, ſeu gravis imbre notus.
Omnia (noſter amor fecit) toleranter obibam:
Nunc eadem præſtem, dummodo Priſcus amet.
Priſcus amat, fateor, ſed qua ratione Iacobum?
Vt ſervum dominus ſuevit amare ſuum.

Inter Patricios occurram ſi tibi cives,
Vix me prima acie lumina flexa notant.
Dicis, ſed poſsit quam nemo audire, ſalutem:
Imminuit noſtram nec tua menſa famem.
Tu mihi non modicum laudis tribuiſſe videris,
Et quod mercedis nomen habere velis:
Obſequiis feſſum ſi me, fractumque labore
Excipias aliquo blandiùs alloquio.
Nemo ſibi tales quæret, puto, ſanus amicos:
Nî ſeruam cupiat reddere amicitiam.
Nemo hoc ingenio Burgundis naſcitur oris,
Vt libertati præferat iſta ſuæ.
Si tibi de Siculo fertur murena profundo,
Si de Bajanis oſtrea rapta vadis:
Si grandes rhombos portet tibi vaſta paropſis,
Si niſi de mullo, Priſce, bilibre vores:
Vina racemiferi ſi ſint generoſa Veſeui,
Et (quem expreſſerunt Gnoſia præla) liquor;
Mollia torquatum velent bombycina pectus:
Atria ſi vario marmore picta colas,
Non equidem inuideo. Cui ſors ſua ſufficit, ille
Pactolum ſolus, poſsidet ille Tagum.
Vt mihi nec Serum ſit ſtamine texta lacerna:
Nec ſit conchyli murice tincta toga,
Quid tum? Partenope nitidis in veſtibus ire
Quæ ſolet, Aonias ſeruat amatque Deas,
Non mihi clauatis ſcintillant pallia limbis,
Nec me gemmato pileus orbe premit:
Vili frugales abſolvo peloride cœnas:
Et juuat Illyrico de petaſone cibus.

Vnctaque fumoſo ſatiat me braſsica lardo:
Sed bibo de annoſo Maſsica fuſa cado.
Sed mihi Lælius eſt, pariliſque Leontius ardor:
Libertas eadem, Muſaque grata tribus.
Cur non, Priſce, tuas poſsim contemnere menſas,
Tam certis potiar dummodò pignoribus?
Interdum eſt aliquid magnis potuiſſe placere:
Invitus dominas ſed colo amicitias.
Te vehit auratus ſonipes: latera undique creber
Stipat ſollicitus proſequiturque cliens.
Quacunque ingrederis, tibi odora Neapolis inſtat,
Flexum demittens ad tua verba caput.
Hæc inter potero ſudoribus udus anhelus
Metiri quot ſunt compita in urbe pedes?
Nequaquam: breviora domum compendia ducunt:
Non fuerit tanti priſtina amicitia;
Inter inæquales quæ nunquam ſubſtitit æqua.
Qui ſervit, domino non benè amicus erit.

AD PAVLVM MELISSVM, COMITEM PALATINVM, EQVItem & civem Romanum.

Tv ne etiam ſuperos ut vivas, Paule, requiris?
Nec noſtræ ætatis te mala tanta movent?
Præterita meminiſſe potes, nec lumina rivis
Stillant, & lacrymis ora ſinuſque madent?
Cùm ſæcli portenta hujus regnantia latè,
Monſtraque Circææ turpia cernis haræ.
Anne putas quicquam probitatis in orbe relictum?
Aut aliquo Themidis numen honore coli?

Sunt ubi

Sunt ubi naturæ affectus, pietaſque, fideſque?
Indicium ne aliquod reſtat amicitiæ?
Hæc ſpectare juvat, ſimul & ſupereſſe miſelli,
O cœlum! quando hæc infima deſerimus?
Vt patris ætherij cœlo capiamur, ab hujus
Corrupti immunes corporis exuvijs.
Sed Deus hacce vetat ſtatione recedere: noſque
Invitos prohibent fata ſeverà mori:
Vivendum eſt igitur, quia Djs placet: ergo age, tu me
Præſtare id poſſim quâ ratione doce.
Noſtra novas quoniam vivendi tempora leges
Cœperunt: tritâ cogimur ire viâ.
Mutandum vitæ genus eſt: quid me juvat eſſe
Integrum, & priſca ſimplicitate bonum?
Si domino bonitas videatur inutilis, atque
Integritas reddat me mea ridiculum.
Improbitas precium ſuum habet, de paupere dives
Fiet, qui plauſu dicere digna poteſt.
Qui benè mentiri ſciet, & prætexere verum:
Et de neſcio qua relligione loqui.
Namque impune tibi quidvis patrare licebit
Dum placas: mores temporis hujus habe.
Quid prodeſt ſera noctes vigilaſſe lucerna?
Et pluteum tuſa comminuiſſe manu?
Quidve meris longas nugis impleſſe papyros?
Si riſum abſque lucro carmen inane ciat.
Res alia ratione tibi quærenda: ſupellex
Cum Muſis ſemper curta futura tua eſt.
Omne feres punctum, nummis ſi turgeat arca:
Præſidium vitæ eſt in quibus omne ſitum.

Vndique corrade, accumula, auge: Dum tibi res ſit
Ampla, erit & virtus, quique ſequetur honos.
Poſtquam diues eris, poteriſque beatus haberi,
Et ſapiens, & erit primus in urbe locus:
Vtere præceptis, moneo, ſcriptoris Hetruſci,
Qui qualis Princeps debeat eſſe, docet.
Diſſere de Superis, de recto æquoque: piliq́;
Quæ facis, auſterê jura colenda jube.
Sic opus eſt vitium virtutis imagine pollet.
Impoſtura leuis, dummodò proſit, erit.
Et ſiquis fucum olfaciet, ridebit apud ſe:
Et geſtu & verbis annuet ille tamen.
Quis non excuſet locupletem inſulſa locutum?
Infidus lucris nî velit eſſe ſuis.
Aſſentatores habuit Dionyſius: Et qui
Laudaret Phalarin tunc paraſitus erat.
Sæpius atque Midam tonſor dum pecteret, inquit,
Hæ quadrant ſolis regibus auriculæ.
Stultitiam Plutus thalamo olim iunxit: & illâ
Eſt Plauſus patri de genitrice ſatus.
At quia difficile eſt ad opes attingere (non eſt
Cuilibet ad Plutum poſſe venire datum.)
Si deſint tibi qui verſentur vomere ſulci,
Algeat & nullo macra culina veru:
Et tamen inflat honos & amor ſceleratus habendi:
Vt primo placeas eſt ineunda via.
Sit tibi compoſitus pro quovis tempore vultus,
Larvaque perſonæ quam geris apta tuæ.
Et quia mos hodie eſt de ſacris plurima fando,
Et reſtaurata de pietate loqui,

In promptu tibi ſint ſanctis dictata Prophetis:
Quæ Moſis quinum ſcripta volumen habet.
Quæ patrare ſoles, alius ſi admittat, acerbè
Carpe: & te pœnas ſollicitante luat.
Per ſuperos nunquam, iurandi formula, certè,
Sit tibi: & hac fultus fallere nempe licet.
Cumq́; neges humana Iovem obſeruare, licenter
Quidlibet, id cautè dummodò fiat, ages.
Conditio hæc vitæ tuta eſt: Sapienter at illam
Inſtituit, qui ſe his moribus inſtituit.
Scorta pudicitiam verbis ad ſidera tollunt:
Atque è ſuggeſtu ſuadet amare latro.
Et ſeruanda piæ concordia fœdera pacis,
Qui bellis turbant omnia jura, docent.
Omnis amicitia eſt mala fraus: delirus habetur,
Cui pudor eſt cauſſa fallere quâque fidem.
Nobile cenſetur raptas abducere prædas:
Magnanimi nomen fert homicida viri.
In populum cenſuram agitant, moreſque reformant
Pelle ſub agnina turba ſuperba lupi.
Et tu ſumme Pater, potes hæc tolerare: nec ullus
Contempti metuit numinis eſſe reus.
Hinc multorum animis irrepit opinio, fruſtra
Nil nos curanti fundere vota Deo.
Cocyti explodunt flammas, Acherontaque, Et illas
Quæ ſub Tartareo ſunt Phlegethonte rotas.
Nemo voluptates, aiunt, neque gaudia ſenſit,
Credita dum hæc patribus fabula vera fuit.
Vt metuant matrem timidis pallentia nocte
Proponi pueris ſpectra ſubinde ſolent.

Vt fugiant volucres ab amatæ cannabis horto,
In ſumma crepitat teſſera fixa ſude.
Pauperibus ſolis cæleſtia regna patére
Chriſti, ſi fas eſt credere, verba canunt.
Perque foramen acus tranſmitti poſſe rudentem,
Dum locuples ſuperis annumerandus eat.
Quiſquis divitibus locus aßignetur, ad illum,
Sit licet Orcus atrox, ſuavius ire mihi eſt.
Interea placidæ ſatiabor munere lucis:
Et dulcis vitæ commoditate fruar.
Perque tot ærumnas miſeris ſperata relinquam
Præmia: quæ tanti non benè ſanus emat.
Sintque, nec invideo, cultores juris, & æqui:
Atqui pauperibus non licet eſſe malis.
Pauper eget ſemper: lacrymoſa quod prece poſcat
A Superis ſupplex ſemper egenus habet.
Huic leges poſitæ, laquei, tormenta, cruceſque.
Pro nullo poſitum eſt divite iudicium.
Hos, Anacharſi, inquis fucos abrumpere caſſes,
Irretita quibus parvula muſca perit.
Cur non portentis tellus his ima dehiſcit?
Vibratove poli fulminis igne cadunt?
Ne ſimul & terras, & polluat aëra viru
De Stygio peſtis quæ furit orta lacu.
Abſtruſa potiùs deinceps ſecludar Eremo,
Et ſedet modico cœnula farre famem:
Aut clauſum algenti crucient jejunia cella,
Duriter aut ſtrato rudere nocte cubem:
Et patiar vitæ quævis incommoda: quæque
Mors dabit extrema funera pulla die.

Quam tanta

Quam tanta impietas mentem ſubvertat, & ante
Saucia quàm ſimili pectora labe geram.

AD FABIANVM BVRGRAVIVM ET BARONEM A DHONA Boruſſum.

VRbano tantúmne etiam indulgebis amori?
Heros Pruſsiaci lumen honoſque ſoli.
Vt nunquam ruris moveare tepentibus auris:
Nec ſubeas lætum frunde virente nemus.
Ecce Cleonæi cœlum face ſideris ardet:
Imperiumque poli Sirius uſtus habet.
Tu tamen inviſa reſides pertæſus in urbe,
Et victa urgenti Muſa calore jacet.
Quin agè, rumpe moras, teque altis mœnibus effer,
Dum pictus variis floribus habat ager:
Dum reſonant querulis paſsim dumeta cicadis,
Implet & argutis Daulias arva ſonis.
Heic ſomnum molli faciet tibi mota ſuſurro
Vnda, & de nitido glarea fuſa lacu.
Adſpicies virides ſub opaco vepre lacertos:
Turtur & in denſa frunde pudica gemet.
Spectabiſque Alpes tenera proſtratus in herba,
Aëria gelidum condere nube caput.
Vnde levis Zephyrus modicis loca flatibus implet:
Et calidum blando mitigat ore diem.
Quòd tibi ſi gravior ſudorem moverit æſtus,
Quæ tergat ſtrophio timpora Phyllis erit.
Phyllis criſpa comas, nudis formoſa papillis,
Cui teretes ſuræ, cui juvenile femur.

Illa feret ceraſumque rubens, montánaque fraga:
Et decerpta agili cerea pruna manu.
Nigraque vimineis depromet mora quaſillis,
Et de pampineâ vite racemus erit.
Non lac defuerit, non pingui caſeus orbe:
Non ſub ferventi cocta placenta foco.
Illa miniſtrabit patera nova vina nitente:
Frigidiorque liquens diluet unda merum.
Suſpicies roſeaſque genas, & eburnea colla,
Pectoraque alpina candidiora nive.
Optabiſque ſinus palpare, & jungere dextram,
Et lateri cupidum conſeruiſſe latus.
Quòd tibi ſi preſſis libauerit oſcula labris,
Oſcula Cecropij tincta liquore favi,
Vrbanæ, dices, procul hinc procul eſte puellæ:
Dulcior eſt ruri namque reperta Venus.

AD IACOBVM SANTALBINVM TRECENSEM medicum.

SI tãquam locuples, tãquam cui cuncta ſuperſint,
Securos vivo tempora læta dies,
Divitiæ contemptæ id agunt, & vivere parvo
Quòd poſſum, & patrio quod mihi rure venit:
Quódque mea degam contentus ſorte, nec ulla,
Quæ cruciat multos, ambitione ferar.
Quódque ſalubre mihi corpus, quòd ad ocia natus
Non ſim, quódque pares ſint mihi amicitiæ.
Quòd poſſim faſtus hominum ſuſpendere naſo:
Quódque procul nummi ſit maleſuada fames.

Quòd mihi

Quòd mihi libertas non ſit temeraria fandi:
Applaudat vitiis nec tamen illa nimis.
Conſcia nullius quòd mens mihi criminis, audet
Ad cœli puras ſidera ferre manus.
Hæc propter ſi me dici vis poſſe beatum,
Hac dici felix conditione libet.
Sed ne magnatum me credas munere ditem:
Non mihi ſunt partæ munere divitiæ.
Te tua, Santalbine, juvat doctrina, ſed illa
Seria cum tractet, commoda mille parit.
Illa docet Medica morbos avertere cura.
Ægraque Pæonia membra levare manu.
Concurſus populi inde frequens tua limina ſervat:
Hinc tibi honos & opes, hinc tibi fama venit.
Ludicra nos canimus, quæ ſi placuiſſe putemus,
Suſcepti merces ampla laboris erit.
Mandamus culto vigilatas carmine nugas,
Vnde mihi meßis, ſed ſine fruge, redit.
Nemo hodie confert exploſis dona poëtis.
Commodu quiſque ſuis quærere rebus amat.
Mæcenas noſtro, quòd rem prodegerit, ævo
Ridetur coëmens carmina muneribus.
Nobilium ſubeant Muſæ, & contemptus Apollo
Tecta, jubebuntur protinus ire foras.
Aſſentator eris, leno, vel conſcius, aut qui
Verſutus fumis ſcurra placere queas:
Auratus domini caligis ornaberis, & te
Pallia Sidonio murice pota tegent.
Nec ſine te fient convivia: Maßica vel quæ
Fuderunt olim Gnoßia prela bibes.

Ridiculi pueris cœperunt eſſe poëtæ:
Illi, ajunt, nobis verba jocoſa canunt.
Qui neſcit, nec vult laudanda patrare, ruborem
Illi vel ſua laus, aut aliena feret.
Et qui laudari potuit, ne laude fruatur,
Ingratæ labes præſtat avaritiæ.
Adde quòd ignaris omnis doctrina pudori eſt:
Non intellectum nemo probabit opus.
Altera ab undecimo ætatis vindemia luſtro
Intentat ſenij jam mihi frigus iners.
Et nullius adhuc ſum factus munere dives:
Nec data quæ junctis jugera bobus arem.
Multa licet vario cælarim ſigna labore:
Et mihi non una ſcripta notata die.
Spem fecére diu nobis promiſſa parari,
Arcula quas nunquam noſtra videbit opes.
Et quem munificum verſu deſcribo, monetur
Officij tandem ſit memor ipſe ſui.
Meque queri meritò contracta fronte fatetur,
Ac de ſe me illud dicere nemo putat.
Fortè mihi ſervat, quæ poſt extrema capeſſam
Funera, & ad manes dona ferenda meos.
Sic ego in immeritum cæcus convitia ſolem
Iacto, & defectùs non benè noſco meos.
Poſce, inquis, lucri quoties occaſio facta eſt.
Munera quòd nolis poſcere, nulla refers.
Me mea non fecit, certè, natura petacem:
Sed ſolet in noſtra fronte ſedere pudor.
Adde quòd utiliùs nobis toleratur egeſtas,
Quàm gravis indigno facta repulſa modo.
Neſci

Neſcio quæ interea paſcit me gloria, vatis
Quòd Muſa titulos non renuente geram.
Et mea cum plauſu quòd ſcripta legantur amicis:
Et mihi ſit Muſis fama reperta meis.
Meque ſodalicio ſuperi junxere Meliſſi:
Et tantum credar promeruiſſe virum.
Quòd mihi ſit Lepidus, quòd Santalbinus amicus,
Prima animæ pars hic, ille ſecunda meæ:

AD LVDOVICVM MALARMAEVM VESVNtinum I. C.

DVm, Ludovice, mihi fato meliore precaris
Quod reliquum eſt vitæ tempus ut omne fluat,
Quas poſſum grates tibi ago: ſed ſera ſenectus,
Quæque ligat noſtros dura podagra pedes
Abnuit: optatis & reſpondere ſalutem
Obſtat, vivo hilaris nil tamen ipſe minus.
Sarcta & tecta mihi bona ſunt: ſint parvula quãvis:
At faciunt noſtris uſibus illa ſatis.
Sum cælebs: ſecurus ago noctesque dieſque:
Craſtina lux curas nec movet ulla mihi.
Quę vetulos fraudet thalamos, dubiumque cubile
Reddat, nulla mihi eſt inſidioſa Venus.
Nec mihi diminuunt nimio patrimonia ſumptu
Filius, aut auri prodiga nata procax.
Si leſſum nemo faciat mihi funeris ergo
Heres de noſtro ſanguine progenies,
Quid tum? hunc defectum fidus ſupplebit amicus:
Externis ego ſum dives amicitiis.

Quod me ſi patria ingratus Dubis arcet ab urbe,
Nulla mihi regio denegat hoſpitium.
Me Nicer, & me Rhenus amat, mihi Mœnus & Iſter
Applaudunt, vitreis atque Moſella vadis.
Belgica mî tellus peragrata eſt: inque Batavis
Conſedi, Phriſii littoris arua petens.
Meque Eburon tenerê, fortiſq; Sicamber amavit,
Quos Moſa, quos flavis Scaldis inundat aquis.
Catthorum ſaltus, me Francica culta, Turingique,
Et Cherſoneſi Cimbrica vidit humus.
Tu quoque vicino gaudens Pomerane Boruſſo,
Et vos grata animo tecta Gedana meo.
Illa ubi quondā inopē, expoſitum, morboq; gravatum
Excepit propria me Radegunda domo.
Pauperiem donis minuit, largita benignê
Quod nato ſolita eſt officioſa parens.
Saxones, & Moravi tenuere, & pulchra Budorgis:
Et tu ſilvoſis cincte Boheme jugis.
Danubiuſque pater glaucis me lavit in undis,
Quà Boij florent, Auſtriaque ima patet.
Sarmatiæ ingreſſum fines coluére Poloni:
Meque ſuo adſcripſit Panno ſodalicio.
Et tunc viventes felici pace Croatæ:
Accolaque Illyrici gens mihi nota ſali.
Nec ſat erat Germana vijs decurrere longis
Regna, & in Auſtraſiam vertere rurſus iter:
Biſquinas tuto lepidiſſima tempora meſſes
In culta quondam viximus Oenotria.
Me Veneti & Ligures, Tuſciq;, Vmbriq;, Sabinique
Et Calabri norunt oppida crebra ſoli:

Adria

Adria quotquot habet, Tyrrhenaque littora cernũt:
Hoſpes in his grata conditione fui.
Me Siculo quondam tenuit Meſſena Peloro
Proxima, & igniti ſulfuris Ætna ferax.
Corcyræ ſubij bijugis in rupibus arces:
Tectaque Chaoniæ Caßiopæa domus.
Argolicas urbes vidi, quas Thrax ferus armis
Opprimit, indignis excruciatque malis.
In quibus ingenuum ſum ſæpe expertus amorem:
Emenſus lætos non ſine honore dies.
Nec locus eſt ullus, qui me olim exceperit, in quo
Semper dulce aliquid non mihi contigerit.
Sola odio me patria habet: burgundia ſola
Boiſſardum infeſtis proſequitur ſtudijs.
A qua luſtra novem vagus & peregrinus aberro:
Iam mihi pro patria qualibet ora venit.
Nil gravius tamen ingratæ ſumus antè precati,
Hæc niſi ſinceram mentem animumque gerat.
Vtque bonos cives foveat, tutetur, ametque:
Oderit & pravos, & ſit iniqua malis.
Serò licet, tetigêre Deos mea vota preceſque:
Ecce antiqua meæ pignora amicitiæ
Priſtina nunc recolunt veteris veſtigia flammæ;
Inque mea ſe offert plurimus urbe favor.
Ille Malarmæus, noſtro qui in pectore ſedit
Pars animæ ſemper dimidiata meæ,
Invidiam metuens, peſtemque exoſus acerbam
(Quæ vigil in noſtram perniciem excubuit)
Cùm nihil eſſet opis, gliſcente furore, relictum,
Boiſſardum ſatius dißimulare ratus,

Occuluit ſeſe, atque indonea tempora vultus
Subtraxit, mœſtus triſtia corda tamen.
Nunc ſudum rediit, nunc mitior aura ſerenat
Aethera: purgatis nubibus aſtra patent.
Convaluit, pulſoque procul languore rediuit
Ad ſeſe ex longi ſpalmate deliquij.
Quique diu ſopitus erat, rurſum incipit ardor
Noſter in immenſam ſurgere velle pyram.
Certatim gemini illius duo candida fratres
Pectora amicitiæ me aſſeruere ſuæ.
His Chaßignetus, dias Amythaonis artes
Qui callet, voluit proximus ire comes.
Saugetoque ortus de ſtemmate jungitur illis
Muſarum Stephanus cultor, amanſque mei.
Felicem meme ante alios, longéque beatum:
Conciliata brevi tota Veſuntis erit:
Et poſtliminio tandem ad mea tecta reverti
Sors dabit, & dulcem cernere poſſe Dubim:
Sed vereor poſthac ne me jam ſerior ætas
Impediat reditu, quique Moſella placet.
Inſtructique lares, quos nobilis ille Vienna
Perpetuum nobis munus habere dedit.
Vos tamen, o patrij cultißima turba ſodales,
Proſequar officijs, proſequar úſque fide.
Tuque, Malarmae a puero mihi care, coævam
Profer ad extremum funus amicitiam.
Nec te pœniteat, noſtri ſi mentio fiat,
Dicere, & is nunquam deſinet eſſe meus.
Si mihi Burgunda ſemper tellure carendum,
Veſter amor nobis leniet exſilium.

Me premat

Me premat uſque licet livor, penſabis abunde
Tu ſolus noxas, damnaque noſtra ſimul.
Teque ego dum potiar, vileſcent multa malorum
Millia, nec ſcoriam hanc pertimuiſſe ferar.
Adverſæ: didici fortunæ obducere callum:
Obviaque invicto pectore damna pati.
Dum non palleſcam culpa, dum conſcia recti
Sit mihi mens, ac dum non inhonorus agam.
Glorior his tantùm, vateſque quòd audio paſſim:
Quódque mihi eſt Muſis fama reperta meis.
Hæ mihi divitiæ ſunt, hæc mea ſola voluptas:
Præcipua a cunis hæc mihi cura fuit.
His magnæ cumulentur opes, quibus inclyta virtus
Nullius tribuit nominis elogium.
Contentus qui ſorte ſua eſt, quem nulla latenter
Invidia, aut ardens vellicat ambitio:
Magnatum cœnis, nec ſervili indiget auro:
Nec metuit linguæ tetra venena malæ.
Nec, ſi convulſa fracti compage rotentur
Cœli orbes, pavidum facta ruina teret.

AD IOANNEM ROCOSSOVIUM IACOBUM ET ANDREAM Crottoſſios fratres Palatinidas Polonos.

ERgo Sauromatas inter, Lithavoſque feremur:
Noverit & nomen Mænalis urſa meum.
Principibuſque viris iterum placuiſſe juvabit:
Quos Deus officijs promeruiſſe dedit.
Sed quibus officijs? quem tu non videris unquàm;

De tali dices te meruiſſe aliquid?
Nequaquam: primi te illi meruere, voluntquè
Obſequium meritis conciliare tuum.
O Superûm proles certiſsima? pectora queis ſunt
Culta tot & tantis dotibus ingenij.
Boiſſardus veſter deinceps cur eſſe recuſet?
Fortunæ ſtudeat ni inſcius eſſe ſuę.
Certè ego ſum veſter, quia ſic voluiſtis: & ut ſim
Veſter, in æternum cura perennis eat.
Atque hic veſter amor vita mihi dulcior ipſa
(Dum dabitur ſolis cernere lumen) erit.
Is mihi gemmiferis theſaurus gratior Indis:
Vilior Heſperij dives arena Tagi.
Huic nec opes Lydi cupiam conferre tyranni:
Nec tellus unctę quas dat odora Sabę?
Iam Crottoſsiaco felix reputabar amore,
Qui vaſtat Scythicos dux animoſus agros:
Illius en gemini fratres, fraterna ſecuti
Pectora, amicitię me aſſeruere ſuæ.
Atque Rocoſſovij locupletior ibo favore:
Nam votis deerat ſcilicet ille meis.
Laſicio veteri totum hoc debemus amico:
Perquem poſſum iſtis auctior eſſe bonis:
Vos tamen, o regni tria ſidera clara Poloni,
Omnibus officiis proſequar atque fide.
Nec quiſquã immemorem veſtri me viderit unquã:
Me Chriſtus terris dum ſupereſſe ſinet.
Arctoæ gaudete plagę, tuque optime Princeps
Batthoride, regni qui diadema geris.
En tria fulcra tuis ſurgunt certiſsima rebus:

Et patriæ

Et patrię per quę ſuſtineantur opes.
Creſcite magnorum digni virtute parentum:
Veſtraque percelebres gloria vincat avos.
Creſcite, & illuſtri generis ſplendore coruſcos.
Plauſibus ad cœlum Sarmatis ora vehat.
Creſcite, & ad veſtrum Moſchi formidine nomen,
Atque phalanx Scythiæ, Maſſagetęque tremant,
Voſque triumphali redimitos timpora lauro
Cantibus, & feſta patria voce ſonet.
Et partem decoris (meritis ne gratia cedat)
Laſicius veſter, Bromoviuſque ferant.
Nam ducibus tantis virtutis carpere callem
Conceſſum, & ſacrę tangere clauſtra viæ.
Quod ſumus, id Superis tribuit natura: Parentes
Vicino laudum pręcipit eſſe gradu.
Hos ſimili ſequitur Pręceptor honore colendus:
Nec certum an ſancto ſit genitore prior.
Nãque animum format virtute, ut ſanguine corpus
Ille: ſed æqualis gloria utrique venit.
De qua aliquid tribuit pietas communis amico:
Per quem vita domi dulcior atque foris:
Namque ille ærumnas, noſtręque incommoda vitę
Prudenti alloquio, conſiliiſque levat.
Hoc ego non viſus deſcribier ordine poſco:
Eſte mihi faciles, ſi tamen æqua peto.
Sum novus, at veteri non conceſſurus amico:
Eſt mihi non dubię pectus amicitiæ.
Sed quò prorumpit feſtino audicia curſu
Noſtra? nec his me me compoſuiſſe pudet?
Laſicius jubet ut redamem quos cenſet amandos:

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Quod mandant fidi juſſa ſodalis, amo.
Forſitan & veſtro dignum dicctis amore,
Si vobis conſtet quàm mihi certus amor.
Quem neque diſſolvi adverſis, nec morte notatum eſt:
His titulis ingens fama reperta mihi:
Conſuetudo mihi cum magnis facta frequenter:
Nec quemquam facti pœnituiſſe liquet.
Virtutem quiſquis ſequitur, conſtanter amabit:
Omnis amor ſine qua nil niſi fucus erit.

AD LAELIVM CLEOPASSUM HYDRUNTINUM.

DVm ſacra Medoaci colimus, Cleopaſſe, fluenta,
Et Phrygio quondam valla habitata Duci:
Noſque tenent umbroſa mei pomaria Caj,
Et denſum mira quod viret arte nemus.
Dum vario curas animi ſermone levamus,
Et recitare juvat vitæ utriuſque vices:
Quàm mihi ſe ipſe dies fugitivis ſubripit horis!
Colloquijs brevior quàm mihi ſæpe venit!
Lectio librorum tam grata eſt docta tuorum,
Et qui mellifluo manat ab ore lepos:
Vt mora nulla mihi, quantumvis longa, relinquat
Tædia, nec crebrò diſſimulata fames.
Non qui graſſatur Nemeæo Sirius æſtu,
Rúraque qui flagrans torret aduſta leo.
Tam tua ſuſtentat noſtrum facundia pectus,
Vt mihi ſit vita ſuavior illa mea.
Nunc pugnata tibi toties dum bella recenſes:
Claſſicaque ancipiti mota ſubinde Deo.

Threicia dum clade ardens ſaturatur Enyo:
Tota Lepantina eſt dum obruta claſsis aqua.
Dum ſtupefacta Thetis Saraceno in ſanguine vidit
(Quarum dux fueras) vela agitaſſe rates.
Edidit ut diros imitata tonitrua bombos
Machina, & ut magno fulmina torta Iove.
Cùm cœlum terris miſceret, & aëra ponto,
Hinc flammis Mavors, hinc metuendus aquis.
Dum ſubit illíus nobis narratio belli,
Quaſſa metu gelidum pectora frigus obit.
Singula tam docto ante oculos quæ carmine ponis,
Vt videar medio cernere ſigna mari.
Teque ſciã incolumem quamvis, Cleopaſſe, reverſum,
Victricique manu munera ferre Deo:
Per medias acies ſtricto mucrone vagantem
Semianimis quoties exanimiſque lego?
Votaque ſuſpenſis facio temeraria labris,
Ne fias trucibus præda cruenta Getis.
Neu dum virtuti nimiùm fortique juventæ
Fidis, inhumano fuſus ab hoſte cadas.
Fortunate nimis, quem cultum utrâque Minervâ
Mars gladijs, calamo Muſa diſerta beat.
Nec ſolùm arma canis bimarẽ quæ victor ad Iſthmũ
Geſsiſti, & Turcis quando ſubacta Cyprus.
Dum Calabram vaſtaret humum pyrata, ſuaſque
Vexatis prædas Adria fleret aquis.
Sed ſe laudari pulchra cum matre Cupido
Gaudet, & a cithara nomen habere tua.
Dum patriam illuſtrat formoſa Maryca Ravennam,
Et verſu ſuperat ſidera ſumma tuo.

Quicquid agas, Cleopaſſe, tibi eſt ſors æqua, Chariſq;
Et veniunt faciles ad tua vota Deę.
Divitię doctrina, decor, roburque, genuſque;
Et clarę precium nobilitatis honos.
Cœlitus arrident tibi cuncta: & iure beatus,
Si quiſquam meruit dicier, ipſe potes.
Dulcia jucundę currunt tibi tempora vitę;
Vnde fit & meritò Muſa diſerta tibi.
At me (cui luxit ſol primo inimicus ab ortu,
Infauſtam nevit cui fera Parca colum)
Scribere cur poſcis tranſacti incommoda curſus?
Atque infelici quam rate ſulco viam?
Nil niſi perpetuis maria heic agitata procellis,
Naufragaque in rabidis tranſtra videbis aquis.
Frigus, egeſtatem, morbos, diſpendia rerum,
Et vitam pejor quę mihi morte venit.
Tuque, animo poſtquam luſtraris ſingula, dices,
Vt naſci iſte mori tam citò dignus erat.
Crebrò hęc narrantem miſeratus es, & mea verba
Vdis te vidi ſępe notaſſe genis.
Cumq; eadem jubeas ſcriptis committere, feci.
Vltro etenim imperij juſſa capeſſo tui.
Ipſam ſi fido vitam debemus amico,
Officij indicium ſcripta dicata dabunt.

AD ALARDVM QVINTVLVM
I. C. NARNIENSEM.

PIngo & acu, pingo & calamo quodcunq; mihiq;
Calloſas reddunt ducta metalla manus.

Et mihi Laſſgus pręceptor, & Aubrius alter:
Hic celebris cęlo eſt, ille colore potens.
Hos redamo ut de me meritos benè: Quin etiam(me
Vt decet)hos omni proſequor officio.
Ingeniumq́, utriuſque colo, admirorque:nec unquã
Diſcipulum tantis me pudet eſſe viris.
Sive tibi ſculptor, ſeu pictor, Quintule, dicar,
Nil refert: fieri nempe ego utrumque volo.
Dedecet hoc cui muſa placet, cui nota poëſis:
Et ſtudioſum iſthęc turpe agitare putas.
Sed decet hoc cui Muſa placet, cui nota poëſis:
Nec ſtudioſum iſthęc turpe agitare puto.
Me juvat ignitis rutilum fornacibus aurum
Eximere, atque cavis inſinuare typis.
Artificeſque illos argento imitatus & ære,
Naturę formas quaſlibet exprimere.
Conflare antiquos Heroas imagine vivâ:
Sectarique artes, docte Lyſippe, tuas.
Sumptibus & tantis operoſa volumina pinxi,
Quę mihi tot regum, totque Ducum ora notant.
Hinc exacta mihi ſeries a Cęſare primo
Vſque ad avum legitur, magne Rudolphe, tuum.
Tu que paterque tuus numerum venietis in horum,
Cùm, quo vos poßim pingere, tempus erit.
Quòd ſi, quam ſpernis, picturę neſcius eſſem,
Quis legeret digitis ſigna notata meis?
Scriptaque Romanis olim quę credita ſaxis,
Nunc nos antiqui temporis acta docent.
Tot Latiis Gręciſque numiſmata picta figuris:
Quorum núllius eſt ars imitanda manu.

Addidimuſque illis (ſtudium ſed inutile dices)
Quotquot nunc habitus integer orbis habet.
Illa tibi, hæc aliis placeant: mens omnibus una
Non eſt: quod forſan deſpicis, alter amat.
Quæq; placēt, ſatis illa juvāt: datur auribus hymnus:
Atque hymnos ſcimus ſæpe movere Deos.
Si ſonus exiguo demulcens tempore ſenſus
Vſque adeo dulci nos rapit harmonia,
Nil oculis dabitur? multo plus, clamat Apelles:
Subſcribit Phidiæ Praxiteliſque manus.
Totque alii, quibus hiſtorias tribuiſſe videmus
Inter honoratos nomina magna viros.
De quorum numero ſi demens eſſe recuſem,
Tranſmitti fuero dignus in Anticyram.

IACOBO CODRAEO CLARIO PICTAVINO.

SIc te Santonicis olim ſudaſſe ſub armis
Nunc juvat, & partum pulchra per arma decus:
Vt neque te Patavi ſedes, nec amœna liquentis
Medoaci fluctu rura rigata levent?
Nec maris Adriaci fulgentibus aſpera ſignis
Atria, & innumera littora preſſa rate.
Nec quæ gemmato incedit matrona paratu
Te capit, aut nudo crebra puella ſinu.
Non te deliciæ, non blandimenta, lepoſque
Delectant, quibus eſt fertilis OEnotria.
Sed ſolūm patriam gliſcente tyrannide preſſam,
Et patriæ raptas tu meditaris opes.

Nunc

Nunc Aponi luſtras ſtagnantia ſulfura flammis:
Fervidaque ignitis fuſa lavacra jugis.
Quodq; ſub Euganeis nem' eſt convallibus, & quod
Nobilis Arquati buſta Petrarcha tenet.
Parce tuam, Codrge, metu quaſſare juventam:
Parce caput canis contemerare pilis.
Et tua ſollicitis diſtringere pectora curis:
Nulla heic legitimi cauſſa timoris adeſt.
Convenere duces, Materque, & Regia proles,
Cui tractent ſocia fœdera firma manu.
Gallia civiles poſthac exoſa maniplos,
Patria compoſita prædia pace colet.
Sancta reviviſcet domitis Eccleſia monſtris:
Tínctaque Lernæo dogmata felle teret.
Craſſatum inter nos Erebææ virus Echidnæ
Occidet: & Stygiis eruta monſtra vadis.
Larvarumque diu quamvis informis hiatu,
Et Sathanæ furiis ſit temerata fides,
Reſtaurata tamen ſurſum caput alta levabit,
Arma terens variis inſidioſa malis.
Compedibus vincti Sectarum dura magiſtri
Præbebunt niveo colla premenda pedi.
Illa locata altê ſolio, pia munera ſumet:
Sértaque lacteolos implicitura ſinus.
Tum caſti myſtæ pompis ſolennibus urbes
Luſtrabunt, votis adjicientque preces.
Templa vaporabunt Nabathæo thure puellæ:
Stridebitque ſacris pinguis acerra focis.
Et facies priſci renovabitur aurea ſæcli:
Dum caruit gladiis, & ſine lite fuit.

Mollia pacifici capiebant gaudia cives:
Summus erat nulli conſuluiſſe pudor.
Inter & æquales primatûs nomine dignus,
Si quos officijs promeruiſſet, erat.
Quid tibi mentis erit, cùm tu ſpectabis eâdem
Gallorum populos conditione regi?
Tunc jucunda tibi, Codrçe, videbitur ætas:
Vitaque ſuavis erit, quę gravis antè fuit.

LAELIO CLEOPASSO HYDRVNTINO.

LIberiùs mecum ſolita eſt Lazęa jocari;
Vérbaque virginibus non referanda loqui.
Parcæ tamen famæ nimium indulgere ſiniſtræ:
Ne ſis non æquâ ſuſpicione nocens.
Eſt mihi neſcio quę libertas plurima fandi:
Quæ vitio patrię non ſolet eſſe meę.
Illa tamen nulli mordaci injuria ſannâ eſt:
Nec cuiquam ſtolidâ futilitate gravis.
Nuda eſt ſimplicitas technæ non gnara, nec artis:
Sed quę nata pari eſt pectore, fronte pari.
Polanę placet hæc, ſtudium ut commune, puellę,
Cui fuci aut fraudis nil, Cleopaſſe, ſubeſt.
Ingenio eſt facili: quamvis & ſexus & ætas
Moribus utiliùs talibus abſtineat,
Noſtrates poſſent qui commendare: ſed iſtis
Longè diverſos adprobat Italia.
Debuerat, fateor, regionis legibus uti:
Lędere nec quenquam ſuſpicione mali.

Temnere

Temnere nec virus quod habet mala lingua. Pudicę,
Quæ caſta eſt, nomen non ea ſemper habet.
Cùm terſo doctos componat carmine verſus,
Cenſorem Muſæ me jubet eſſe ſuæ.
Ludit & interdum: nimiumq́; procaciter urget,
Vt ſociem Illyricæ Celtica metra lyræ.
Et quia Gallorum numeros vox ſuavior ornat,
Dulcior & teneri carminis harmonia:
Exprimit affectus nictu pellacis ocelli:
Et Veneri ſtimulos voxque manuſque movent.
Aſt ego, teſte Deo juro, mihi crimine nullo
Notam: ſi tollas baſia pauca tamen.
Quæ, dum Burgundos mores ediſcere geſtit,
Nuper ab invitis ſunt mihi rapta labris.
Nil mihi tentatum eſt ultra: neque plura liceret:
Imo impune iſthæc non rapuiſſe datum eſt.
Non foret id Calabro facilè: ut vicinior ignis
Invadit ſubitis lina propinqua rogis.
At cùm pectore mî flagret moderatior æſtus,
Apta joco cùm ſit, vita pudica mihi eſt.
Concedo interdum laſcivis multa libellis:
Ardemus flamma ſed petulante minùs.
Eſt mihi relligio ſtudium prętexere culpæ,
Et vetitis puras non tenuiſſe manus.

AD PETRVM LEPIDVM METENSEM.

DItia ab Eois diſquirunt Serica Bactris,
Qui dant principibus xenia lauta viris.

Aut ab Erythræo fulgentes æquore baccas:
Texta Semiramiâ vel variata colu.
Succina, & extremo gemmas oriente petitas,
Lecta vel in Lydis fulva metalla vadis.
Sed tibi non tantæ inſederunt pectore curæ:
Te jucunda magis, quàm precioſa juvant.
Ludicra dum mittis Iani mihi dona Calendis,
Arguti nimium proderis ingenii.
De tenui ligulæ nobis venêre papyro,
Quas armant facili ſtramina flava modo.
Scilicet imbelles noſtri eſſe Cupidinis ignes
Arguis, & ſenii robora fluxa mei.
Vt quæ tam fragili retineri compede poſsint,
Arcta ſui modicis carceris obicibus.
Nempe ita vivaci polles ut acumine mentis,
Libraſti juſto ſingula judicio.
Es quod eram luſtris ſex iam pæne antè peractis:
Sum quod eris dum te cana ſenecta premet.
Ferrea vix cohibent rapidos ut clauſtra leones:
Fulminat ut rupto caſſe cruentus aper:
Mollia ſic mites arcent virgulta columbas:
Et tenui claudi vimine turtur amat.
Sic quoque dum vegeto fervet tibi corpore ſanguis,
Aureaque Idalio te Venus igne quatit.
Et promiſſus Hymen, connubiaque ampla ſubinde
Sollicitant, ſuadet quę juvenilis amor:
Integer ut propria poſsit ſtatione teneri,
Petre, tuus forti freno opus ardor habet.
Cui vix ſufficiant ſolido ex adamante catenę:
Retia Lemniaca nec fabricata manu.

At meæ

At mea jam duplici pręcordia frigore torpent:
Me ſenium torquet, me mala vexat hyems.
Ridiculum eſt duris illum fręnare lupatis,
Quem nulla ſtimulat cuſpide calcar equum.
Sat benè conſtringet femoralia noſtra papyrus,
Vix priùs interno diſſoluënda gelu.
Si neſcis, nobis titillat rara voluptas
Ilia: jamdudum eſt algida noſtra Venus.

AD GEORGIVM CAECILIANUM I. C. PATAVINUM.

QVare eſſent mutis tibi juſſa ſilentia labris,
Quęrebam ſolito, Cęciliane, joco.
Num fauces angina tibi vitiaſſet: aperto
Vidiſſétve uſquam te lupus ore prior.
Sed fauces angina tibi vitiarat: aperto
Viderat atque domi te lupus ore prior.
Non lupus imbellis cautus prędator ovilis,
Sed lupa, privigno ſęva noverca ſuo.
Quis loqueretur enim, primas ubi fœmina partes
Obtinet, ignavo ſemper abuſa viro?
Cauſſa tua eſt melior, ſed non ſat judicis æqui
Arbitrio, & juſta diſcutienda manu.
Et tibi ſe opponit non convincenda trecentis
Teſtibus, ad quemvis fœmina ficta dolum.
Cui mota ingenium duplicat contentio: & ultrix
Redditur obiectis ingenioſa magis.
Neſcio quid tamen eſt, quod culpę te neget eſſe
Immunem, & pœnas promeruiſſe probet:

Moroſa eſt plerumque, & tu moroſior ipſe:
Privigno cedit nulla noverca ſuo.
At ſacra ſunt momenta, quibus ſi ſęviat, iram
Subdola verſuta calliditate tegit.
Heic foret arcani ſcrutanda potentia cœli.
Sidera namque quibus quiſque agitetur habet.
Aſtrologus non es: nec quo lunarius orbis
Adſpectu noſti cætera ſigna regat.
Namque omnis mulier lunæ defectibus errat:
Et cerebro eclipſin deficiente refert.
Queris cur toties reſtauret cornua Phœbe?
Cur toties lunas dicimus eſſe novas?
Hę veteres lunas occultant tegmine mitrę.
Eſſe ſine hoc aſtro fœmina nulla poteſt.
Neu cœli donis ſolæ videantur abuti,
Vt ſibi, ſic aliis attribuenda volunt.
Non ſunt ingratæ: contentę corpore lunę
Vt ſint, dant caris cornua habenda viris.
Te quoque perticipem fieri non dedecet horum:
Sed pars eſt pejor, Cæciliane, tua.
Aduerſo quoties contraxit ſidere labem,
Hæc tibi conceptâ jurgia bile movet.
Et furit obliquo frendens lunatica morſu:
Patre tuo mentem diſsimulante ſuam.
Neve odium ceſſet, nec, quâ te exerceat, ira,
Et vexet miris exagitetque modis.
Crabronem irritas, oleumq́ infundis in ignem,
Dum nimia quod agat ſedulitate notas.
Non ſatis es prudens: licet illi quod libet: atque
Poſsidet illa domum, poſsidet illa patrem.
Illi

Illi ſcrupulus es molli malè clauſus aluta:
Spinaque ſollicitos impeditura gradus.
Vtiliùs cœnare foris, vinoque madere,
Et ludo tota nocte vacare potes.
Atque impunè magis famulę vim inferre, vel ipſa
Admiſſum facinus conſpiciente licet.
Indulgebit enim quęvis, ſi, quando requiret
Tempus, & ipſe domo tu quoque abeſſe velis.
Anne tua tantùm refert, quòd potet, edatque?
Vtaturque tui commoditate patris?
Hoc reliquæ faciunt. Iuvenis matrona vieto
Nupſit: & illa virum ſervat amatque ſenem.
Sed quia decrepitus nimis eſt, nec ſufficit illi
Ludo, quem vegeto convenit eſſe mari:
Illa relaxatis aliquando fertur habenis:
Luxuriatque epulis, luxuriatque choris.
Ætas concedit: non eſt gravis illa parenti:
Heic ſolus vigilans Cęcilianus erit?
Privigni nomen nequeunt perferre novercę:
Exploratoris quę benè ſana feret?
Eſſe illi, ut conſtat, cùm te fatearis utrumque,
Mirum eſt ſi non ſit res ſatis æqua domi?
Immorière priùs quàm vi ſuperabis: at omnis
Fœmina, ſi cedas, illico victa cadet.
Illam ut vexabis, ſic tu vexabere: ſed ne
Anguillam ſperes frangere poſſe genu.

IN NVPTIAS NICOLAI TAURELLI MEDICI Montisbelgardi.

SIc tibi diva Paphi cultrix, Taurelle, favebit,
Miles ut aligeri caſtra ſequare Dei?
Et thalami partem capiet Cellera pudici,
Virginei caſtus flos Catharina chori.
Pulchra verecundo perfundens ora rubore,
Aemulaque æthereis lumina bina gerens.
Talis erat Priamo nubens Ciſſeis, & illa
Quæ Spartæ dicta eſt præpoſuiſſe Parin.
Talis ad Oenidem ducta eſt Nonacria virgo:
Véctaque Dardaniis Hippodamia rotis.
O te felicem, toties quotieſque libebit,
In cujus poſthac oſcula fuſus eas.
Sed te felicem ter & amplius eſſe fatere,
Tanto ſucceſſu quòd tibi parta quies.
Mitia namque habili deduxit ſtamina fuſo
Candida fatali Parca operata colo.
Et dixit, longum vivat Taurellus in ævum:
Nec vitiata mala tempora labe ferat.
Fila eadem Clothûs nentur dum pollice, quorum,
Nympha, tibi ſimili ſæcula lege cadant:
Quid moliris? ait Lacheſis. communis utrique
Sors erit: & fatum continuabit amor:
Nec duo erunt: unum gemino de corpore corpus
Efficiet ſocii copula blanda tori.
Vnica mens ambobus erit: ſic pectore bino
Vnam animam deinceps ſpiritus unus alet.
Hæc ait: & gracili contextæ pectine telæ
Procedunt, radiôs non remorante pede.
Iamque opus exactum fuerat: Nilotide palma
Ora nitet: limbos proxima Cedrus habet:

Hanc

Hanc ſeriem annorum trinæ ſtatuêre ſorores,
Qua cum dilecto, Sponſa, fruare viro.
Ergo agite æterno connectite brachia nexu:
Lætaque per molles vita eat illecebras.
Mille per amplexus, per ſuavia mille jocoſque
Ludite: & ad luctam det puer ales opem.
Spónſe, decus montis Belgardi, o quanta manent te
Gaudia! quàm claro ſidere cuncta fluunt!
Sicut Erechtæis còlles onerantur olivis,
Quas alit Actææ pallida ſilva deæ:
Sic tibi robuſto cingatur menſa nepote,
Plénaque formoſa ſint tibi tecta nuru.
A quibus extremis placide foveare ſub annis,
Cæſaries tinget quum tibi cana caput.
Tunc tibi nec gelido metuetur bruma decembri,
Dum riget algenti ſtiria crebra gelu.
Non oberit feſſo ſudanti Sirius æſtu,
Dum ſitit infeſtis ignibus uſtus ager.
Certatim officio, ſtudiiſque intenta iuventus
Longævi ſenii dulce levamen erit.
Vivite concordi conjux cum coniuge flamma,
Virgine vir felix, virgo beata viro.
Dj ſervent aſtris ſociata cubilia fauſtis:
Nec carpant veſtros triſtia damna dies.

AD MICHAELEM CORMAEUM PAXIUM Pannonium.

DEſine membrorum brevitatem obtrudere nobis:
Nec me Saxonicis, optime, confer equis,

Ingenti qui mole ruunt. Palearia tauro
Apta quidem, & curvo colla toroſa jugo.
Nil mihi cum ſtiva, nihil eſt cum rure negotj:
Commendor vaſta non ego materia.
Mi Cormæ, viros metiri non decet ulna:
Sępius in longis eſt minus ingenij.
Quęris at uxorem ſiquando ducere vellem,
Momenti anne parum corpus habere putem.
Multum: virginibus, certè, noſtratibus iſtud
Curæ eſt: in ſtudiis talibus arte valent.
Pygmæis nolunt, ſcio, ſeſquipedalibus ortum:
Nec quemquam turpi pumilione ſatum.
Nulla tamen poſcit, cuj centum ex ordine coſtæ
Diſtendunt vacuum parte ab utraque latus.
Sint procul a nobis delumbia corpora, dicunt:
Nam tantùm ronchis illa ſupina vacant.
Norunt, mi Paxi, norunt, mihi crede, puellæ
In mediis aliquid dulce latere viris.
At tu: conveniens ſi ſit proportio toti,
Ex uno quæ ſint cætera membra liquet.
Tu malè concludis: promiſſæ ſyrmata caudæ
Cernimus exiguo ſæpius eſſe cani.

DE CHILONE ET NYDARTO.

QVid mihi cum ſævo Buſiride? quid mihi tecum
O Phalari? aut homines qui Polypheme voras?
Et mihi quid fuerit cum iſtis pejore Nydarto?
Quid cum nequitia, Chilo nefande, tua?
Nil mihi cum monſtris, hominem qui corpore ſolo
Oſtentant: intus corda ferina gerunt.

Nil mihi

Nil mihi cum illis eſt, qui nobilitatis avitæ
Obliti, effrænes in ſcelus omne ruunt.
Non tibi amicus ero, divis odioſe Nydarte:
Nec tibi, tam turpi putide Chilo nota.
Non, mihi divitias ſi dono obtrudat uterque,
Et quotquot ciſtis clauſa talenta tenent.
Nec quas illi habitant ædes de marmore, nec quæ
Tercentum patriis jugera bobus arant.
Convivet citiùs milvus ſine fraude columbis:
Et cum concordi dormiet agna lupo:
Noxque dies fiet: fient lux clara tenebræ:
Et volvi aßiduo deſinet orbe polus.
Incipiet medio tardißimus ire decembri
Phœbus, & æſtivas accelerare rotas.
Eurus ab occaſu, Zephyrus ſpirabit ab ortu,
Ex Auſtro Boreas, ex Aquilone Notus:
Antè miniſtrabit, recipit quæ, lumina fratri
Dictynna, & gelidus Sirius ardor erit.
Inque ſuos fontes converſo flumina curſu,
Et pluviæ in nubes antè ferentur aquæ.
Nec ver producet flores, nec meßis ariſtas,
Poma nec autumnus, frigida bruma nives.
Nulla apis Actæum citiùs depaſcet Hymettum:
Nullaque monteſa vivet in alpe fera.
Nec celeri placidum remo ſulcabitur æquor.
Quàm mihi vobiſcum concilietur amor.
Veſtra ego devoveo cunctis conſortia diris:
Devoveo ſimili nomina veſtra modo.
Nomina quæ ſcriptis nunquam relegentur in iſtis:
Fœdabuntve ullo noſtra labella ſono.

Ah, veſtri poſſem nunquam meminiſſe: ſed iſtud
Poſſe unquam fieri damna recepta vetant.
Sed quoties veſtri memor eſt mens, pectore ab imo
Suſpirans, Superos ſupplice voce rogo.
Dj procul à nobis tales avertite peſtes:
Veſtraque ſit noſtris mitior ira malis.
Si queritur laſſas Rhadamantus Erinnyas eſſe,
Accipiat furias queis opus Orcus habet.

AD PAVLVM MELISSVM.

VXorem duxit formoſam, Paule, Phlogillam
Prognatus Veneto ſanguine Criſpus eques.
Felſina ſed teneræ patria eſt nemoroſa puellę,
Blanda habitare ſolet quo Cytherea loco.
Venit ad Adriacas poſtquam nova nupta paludes,
Eſt ubi continuo ſemita nulla mari:
Non audet prodire foras, campoque vagari
Dum libet, aut cultum merce ſubire forum.
Nec licet irriguas horti recubare per herbas,
Et vario niveos pingere flore ſinus.
Carpere nec gravido digitis pendentia ramo
Poma, nec e vitreo fonte levare ſitim.
Tunc ſilvas patrii recolens memor Apennini,
Et libertatis priſtina jura ſuę,
Perpetuo, infelix, nunquid me carcere claudi
Sub thalami, dixit, nomine coget Hymen?
Nec pręter fluctus, & denſum littus arenis.
Spumoſique vadum mœſta videbo ſali.
Quid mihi marmoreis laquearia fulta columnis,
Quid proſunt Gręca facta aſarota manu?

Nobili-

Nobilitaſque viri proavis a regibus orta?
Quid tot centenis millibus arca gravis?
Quid tot Minoa flaventia jugera meſſe?
Quęque replent noſtros Gnoſia muſta cados?
Quid numerare juvat tot opes terraque marique,
Quas in diuerſo vir meus orbe tenet?
Quid, quòd apud Venetos uxores eſſe beatas,
Sicut apud Ligures, jactitat Italia?
Imperitare ſuis cum libertate maritis,
Et dominas ſe ſe dicere poſſe domus.
Quid prodeſt gerere Eois ſplendentia gemmis
Pectora? & aurata veſte nitere ſinus?
Si ſecreta domi lateam, viduumque cubile
Triſtis, & indigna frigida nocte premam.
Crébraque ſuſpenſo ſuſpiria pectore ducam,
Dum recolo vexet quanta libido mares.
Hæreat externa ne fortè in pellice, dum me
Detinet ingrata cura moleſta domus.
Sępius hęc lacrymis iterare ſolebat obortis,
Et longo intra ſe victa dolore queri:
Sed tandem precibus durum eſt aggreſſa maritum,
Deſerat ut Veneti tecta marina laris.
Telluriſque bonis inſtanti vere fruatur:
Lóngaque mutat a tędia ſede levet.
Annuit: atque moram ſtatuunt Antennoris urbe:
Non alio potuit gratior eſſe ſolo.
Tunc ubi per medias pilento vecta plateas
Fulget inaurato lęta Phlogilla ſinu,
In patriam rediiſſe putat: ſic cuncta placere
Incipiunt, aër mitior, atque locus.

Nec ſemper ſalſis lentandus remus in undis,
Hortorum quoties viſere ſepta libet.
Nec ſemper curis illic agitata juventus
Exercet patriis publica jura togis.
Sed ſtudium armorum Patavinos atque paleſtra
Detinet, & circi pulvere tectus equus.
Et ſchola, Muſarumque domus, ſacrũque tribunal,
Sunt ubi Caſtalij docta Lycea chori.
Ad quæ dum Eugenius (quo non formoſior alter
In tota Italia eſt) itque reditque freqnens:
Conſpicit intrantem Sophiæ delubra Phlogillam:
Ardet, & inſano merſus amore furit.
Me miſerum, exclamat, niſi me cum matre Cupido
Adjuvet, & flammas huic velit eſſe pares.
Nata erat obſcuris Dagolina parentibus, at quæ
Aſtuta multos arte juvabat anus.
Porticus hanc omnis norat, fora, templa, theatra,
Plebeiaque caſæ, patriciaque domus.
Noverat hæc tota quicquid fiebat in urbe:
Quam vir diligeret, quemque puella virum.
In vultu atqne oculis animum mentemque legebat:
Artem ac judicium longa ſenecta dabat.
Hanc adit Eugenius, pectus depromit, opemque
Poſtulat, & merces penditur officij.
Dignus es ante alios, o formoſiſſime rerum,
Cui faveat blando numine Cypris, ait.
Quæ te non redamet? niſi quæ ſua non bona norit:
Aut rigeat cujus pectore dura ſilex.
Non hoc natam animo manſuetam credo Phlogillam,
Vt damno, atque tuis gaudeat exitiis.

Nec

Nec tales alere eſt aſſueta Bononia tigres:
Mitius, ut fama eſt, namque ea pectus habet.
Ibo, & tentabo eventus: ars docta fefellit
Me raro, & noſtris verba diſerta labris.
Feſta dies aderat: Panchęo templa vapore
Cum redolent divo condita Proſdocimo.
Iuſtinæ ad fanum matres, juveneſque ſeneſque
Conveniunt: erat his pulchra Phlogilla comes:
Flava comas, Venetoque ſinus perlucida cocco:
Cui colli gemmis Gratia cingit ebur.
Hanc tremulo Dagolina gradu comitata ſalutat:
Sis ſemper felix urbis & orbis honos.
Hinc laudanda magis, quod cum tibi forma decorque
Sit, ſummis poſsit qui placuiſſe deis,
Eſt tibi quod blandum nolit ſecludere amorem
Pectus: ſic opus eſt, filia, ſic opus eſt.
Noſter in hoc ſexus ſemper peccare videtur,
Se ſinat ut nimia credulitate rapi.
Dum ſequimur laudem ſpecie virtutis & umbra,
Nomine quæ dura eſt tecta pudicitiæ.
Mille per infidis ſervimus damna maritis,
Queis crimen nullum eſt deſtituiſſe torum.
Frænetur nulla quorum dum lege libido,
Cogimur indignê ſæva capiſtra pati.
Vt roſa, quam verno circundat purpura flore,
Mane rubet, ſed fit ſole cadente rubus:
Sic decor hic noſter fugitivis interit annis,
Atque hoc frontis ebur ruga ſenilis arat.
Quæque hodie ſedit ſummo admiranda theatro,
Cras erit extremo deſpicienda loco.

Vixi & ego florente olim formoſa juventa,
Deſpexique meos ſæpe ſuperba procos.
Quoſque, ut eram juvenis, rejeci dona ferentes,
Nunc prece, nunc multis provoco muneribus.
Pœnitet, at ſerò, genium fraudaſſe, nec illis,
Quæ natura offert, me ſatiaſſe bonis.
Vt neglectorum memor eſt properata ſenectus,
Nunc deſiderium mî ſupereſſe dolet.
Sic eadem, canos dum gignet inertior ætas,
Ne cruciet pectus pœna dolenda tuum,
Vtere divina, tibi dum licet, útere forma,
Nec tibi ſis ſtolida ſimplicitate nocens:
Nec te neſcio quæ remoretur gloria famæ:
Formoſæ excuſat dulcia furta Deus.
Peccati titulum tollet prudentia: tutô
Quidlibet, id cautê dummodo fiat, ages.
Nulla eſt quę ſoli ſocialia jura marito
Servet: ſi poſſit credere ſalva, ſat eſt.
Te tantùm dives, vel qui mereatur amari,
Et culpa vultu tollere nomen, amet.
Cernis in oppoſito juvenem qui vota ſacello
Solvit? in hoc potis eſt ludere tuta Venus.
Ille preces ſupplex libato munere fundit,
Vt, cui ſe vovit, te potiatur amans.
Namque tua captus forma cruciatur & ardet:
Atque ſuam vocitat te, mea vita, Deam,
Nobilitas illum commendat, opeſque, decorque,
Quæque Cupidineo eſt apta juventa joco.
Prudentem doctrina facit: commiſſa tacere
Vir prudens ſolus qualiacunque poteſt.

Becca-

Baccatum hoc mittit rutilante monile pyropo,
Quod fortunati pignus amoris erit.
Iamdudum arcanis flammas incenſa medullis
Hauſerat Idalia tacta Phlogilla face.
Audit ut Eugenium parili vexarier igne,
Aſſumpto duplex robore crevit amor.
Gratia & egregii cultus nitidiſſimus inde
Corporis, hinc dubiam munera miſſa movent.
Invaditque decens ſubito rubor ora pudore,
Verbaque ſummiſſa talia voce refert.
Cara anus, & longo dudum prudentior ævo
Reddita, conſilio victa quieſco tuo.
Eſt mihi vir, fateor, ſed cui mento aſpera pendet
Canicies, annis non ſatis apta meis.
Hunc ſeguem aſſiduè tractata negotia reddunt,
Et curæ inſomnes, perpetuuſque labos.
Et ſtudium in ſeras quo incumbit pervigil horas:
Aut latus exhaurit quę peregrina Venus.
Et quamvis nulli ſtatuam ſuccumbere culpæ,
Sacratumque illi non temerare torum.
Si me a propoſito quiſquam divertere poſſet,
Vni noſter amor cederet Eugenio.
Quęque maritalis ſuper eſt reverentia lecti,
Illa juberetur protinus ire foras.
Vror, & inſolitis torrentur viſcera flammis:
Vtar enim, video, commoditate viri.
Cras Venetam quando cymba deſcendet in urbem,
Tunc noſtri cupido copia fiet, ait.
Dicta dies fuerat: mora longa videtur utrique.
Et jam conducto remige Criſpus abit.

Præſenſit tamen ille dolos, celerique regreſſu
Non exſpectatus ſub ſua tecta redit.
Ingreſſus thalamos deprendit utrumque jacentem,
Defeſſos lucta quos ſopor obruerat.
Vtque furor ſuaſit, ſtricto mucrone necaſſet
Incautos: precibus ſed dedit ira locum.
Livia, quæ dominę crimen promoverat, & quam
Sæpe aliàs fido juverat obſequio:
Ad domini cadit illa pedes, dextraque prehenſa
Sanguine, ait, noli hanc contemerare manum.
Fac meruiſſe: animas iuſtum eſt ſervare piumque:
Confeſſos factum conſice: jure potes.
Divina conceſſa reis confeſsio lege:
In ſuperos tulerint arma profana licet.
Vade, ſacerdotem ſiſte huc: volat illa, citoq;
Limina anûs multo feſſa tremore petit.
Occidimus, proh, clamat: Hero deprenſus amator:
Et jugulis miſeri proxima fica fuit.
Sed myſtæ ſacro culpam fateantur oportet:
Mors certa eſt, ſubita nî Deus adſit ope.
Primò anus extimuit, mutoque expalluit ore:
Tandem ad ſe rediens talia verba dedit.
Difficile eſt in amore modum ſervare: Cupido,
Dum coleris ſemper ſiccine cæcus eris?
Nata, animo forti eſto: aderit fortuna, meoque
Conſilio afflictis conferet auxilium.
Hoc mihi delega munus: Confinia Patrum
Clauſtra petam, atque uſu quæ fore rebor agam.
Vt rediit vultum monachali tecta cucullo,
Cum puero juſſa eſt Livia ponè ſequi.

Veſte ſub ignota Venetum furialiter actum
Convenit, & ficto quid velit ore rogat.
Sancte Pater, dixit, thalamo mihi dormit adulter:
Hoc illi pectus transfodiam gladio.
Verùm animæ fas eſt rationem habuiſſe miſellæ:
Confeſſus merita crimina cæde luat.
Ingredere, & verbis objurga utrumque, docendo
Poſſe hoc deleri non niſi morte nefas.
Introit, & placido diſtentos membra ſopore
Excitat: utque oculos liquit amica quies,
Obſtupuere ambo Patre viſo: ſed timor illis
In riſum nota protinus exit anu.
Non opus heic riſu eſt, ubi ſunt diſcrimina certa:
Qui mortem intentet vir tuus, inquit, adeſt.
Surgite: at intrepido ne deſit pectore virtus:
Audaci facinus ſum meditata dolo.
Elabi ut poſsit primis ex ædibus iſte,
Tutela vives ſalva, Phlogilla, mea.
Hoc totum celet monachali ſyrmate corpus:
Sed noſtra primùm forfice barba cadat.
Páret, ſpeq́ metum reprimit, cellaque relicta
Limina demiſſo cernuus ore petit.
Ac paucis Criſpum alloquitur: commiſſa peregi:
Cui Venetus: factum eſt id benè, ſalvus abi.
Ille nihil contra: neque enim libet addere plura:
Ad rem cùm intentus ſpectet uterque ſuam.
Dimitti gaudet dicta acceptâque ſalute:
Mercedem officij nec petit ille pij.
Sollicitę interea excipitur Dagolina cubili,
Pendet ab eventu cui malè certa ſalus.

Irruit armatus furiata mente maritus:
Intentatque avida vulnera dira manu.
Exclamant uxorque & anus: juvat ire ſub umbras,
Si mentem ſubiit tanta cupido necis.
Hęc ſaltem immeritæ referam ſolatia mortis,
Perdita quòd nimio dicar amore tui.
At tua ſervet anum hanc clementia, cui fuit olim
Obſequijs noſtram cura juvare domum.
Vix portu exieras, mihi cùm lethale per artus
Frigus ijt: tecum nam mea vita fuit.
Quod poſtquam ſenſit, pede ſedula currit anilis
Atque ait, abſenti quid cruciare viro?
Non illum a caro diduxit pectore pellex,
Spes mea, nec fallat qui te alienus amor.
Dandũ aliquid patrię eſt: revocat reſpublica, quæq;
Publica pro patrio munia cive gerit.
Nec mora, tu reducem accipies, & baſia mille
Iungent dilectis roſcida labra labris.
Poſtquam his ſolata eſt verbis, oculiſque fluentes
Abſterſit lacrymas, compoſuitque toro:
Vix gelido gelidum mihi fovit corpore corpus,
Oppreſſit donec fuſus utramque ſopor.
Cumq; huc irrupit monachus qui ſacra doceret,
(A caſta poterat qui tamen eſſe procul.)
Ignoſces faſſæ, mi vir, ſi ſola fuiſſem,
Cùm metuam reliquos, exanimata forem.
Arguta interea luſtrans indagine Criſpus
Omnia, dum nullum heic comperit eſſe virum:
Sola anus eſt ſola cum conjuge, utramque jacentem,
Teſtantemque Deos ſupplice voce videt.

Tunc

Tunc inſit lacrymans, ira gladioque remiſſo,
O Superi, quibus eſt noſtra retenta manus!
O homines cęci, & ſanę rationis egentes,
Zelotypis quoties mens furit acta rogis!
Crediderâm, mea lux, mea vita, errore maligno,
Da veniam, noſtrum te violaſſe torum.
Tanta meis oculis caligo inſederat, ut quam
Cernis anum arguerim te penès eſſe virum.
Sic viſa eſt major, ſic curti à fronte capilli,
Sic mento denſis barba rigere pilis.
Et niſi me fida tenuiſſet Livia dextra,
Enſis hic in geminum pectus iturus erat.
Crudelique meos fœdaſſem cęde penates,
Et qua non tota eſt caſtior urbe domum.
Da veniam; facti tędet me namque, pudetque:
Fecit amor, mea lux, hęc mala, fecit amor.
Tempore ab hoc credit ſua cuncta; Meliſſe, Phlogillę
Criſpus, theſauros, tecta, pudicitiam.
Securêque ſuę, quoties libet, ora puellę
Eugenius felix nocte diéque premit.
Vlla nec ad Criſpi poſita eſt cuſtodia limen.
Sic facta eſt victrix ingenioſa Venus.

AD IANVM DELABERVM ANGLUM.

IAne Caledonios inter numerande Britannos,
Quos tulit illuſtri nobilitate genus,
Nonne ego Medoacum fruſtra coluiſſe tot annis
Credar? & obſcuros tot numeraſſe dies?

Qui tua non norim commercia, & inter amicos
Cenſeri dicar non potuiſſe tuos.
Ergo erit in Rhætis cœli clementia major,
Alpibus? & gelidis mitior aura jugis?
Quæ noſtra æterno ſociarunt pectora vinclo,
Hyrtacidi vinctus quali erat Eurialus.
Talis amor Strophij natum conjunxit Oreſti:
Pirithooque idem Theſea vinxit amor.
Non vobis rigidæ ſcopuloſa cacumina rupes,
Non vobis, inquam, tantus habetur honos.
Non Clavenna tibi patriis immanior urſis:
Non tibi, claude tua barbarior patria.
Vos inter ſilices, inter verſate ſalebras:
Conveniens veſtris is locus eſt animis.
Delabere, tuus candor, probitaſque, decorque,
His virtus auxit me tua divitiis.
Me tua melliflua cepit facundia linguæ, &
Ingenuus comi qui fluit ore lepos.
Non erit ulla dies, dum ſpiritus hos reget artus,
Quin te omni poſthac ſedulitate colam.
Deſſubris dum flava Dubim petet unda, tuique
Oxonios Tameſis lympha rigabit agros,
Inter nos ſancitus amor ſine fine manebit:
Mutuaque officiis continuata fides.

AD POMPONIVM RICIVM NOLANUM.

NOn ego te carpſi ingratus, neq; carmina tempſi:
Carmina quæ laudes continuere meas.

At tibi

At tibi ago æternas pro tanto munere grates,
Quod mihi theſauri divitis inſtar erit.
Paucula rejeci meritum ſuperantia noſtrum:
Non facit ad ſtomachum gloria vana meum.
Ampullas noſtræ nolunt admittere chartæ:
Namque his ingenuus ſuevit ineſſe pudor.
Sic docto noſtras commenda epigrammate nugas,
Iudicio falli ne videare tuo.
Sim tibi, ſi placeat (titulum hunc admitto) Poëta:
Namque mali vates ſunt ſimul atque boni.
Quem mihi cunque locũ adſignabit noſtra Thaleia,
Hoc, licet exigua laude, ſuperbus ero.
Dum patriæ lumen, dum me Burgundiæ ocellum,
Dum Phœbi ſocium, Pieridumque decus
Pomponi, vocitas, o, inquam, nomina bella!
Quæque ſui ignarus non ſapienter amet.
Eſt mihi ſed ſpeculum, ratio ſub pectore verax,
Cæſariem cujus comimus arbitrio.
Illa ait: hæc alij ſumant cognomina: ſed tu
Nugarum ſcriptor non malus eſſe potes.
Quis ſim ſcripta docent: id lector judicet æquus:
Quem tribuet nobis, hoc ego honore fruar.
Adſcribo mihi nil ultra: imo ſponte fatebor,
Cùm nil detulerit me meruiſſe minus.
Ridiculum eſt toto populum inſediſſe theatro,
Pro magno ut ſpectet Rhinocerote caprum.

CELEBRIORVM MVNDI FLVMINUM BREVIS DESCRIPTIO.

Ad Philippam Lazæam Polanam.

DVm graderis reſono Pimplæa per avia plectro,
Phœbus & Aonidum te chorus omnis amat:
Doctaque tam faciles dictant tibi carmina divæ:
Quæ polit ipſa Venus, quę polit ipſa Charis:
Vis tamen interea a nobis, Lazæa, doceri.
Sic vatem vates nempe juvare poteſt.
Gallorum fluvios redigam tibi in ordine poſcis:
Et quos pręcipue Teutonis ora colit.
Quiq; lavãt geminã Heſperiã, extremoſq; Britannos:
Fluminibuſque ſuis Dorica culta ſecant.
Irriguiſque Aſiam lymphis, Syriamque pererrant
Gurgite, queis Libyes ſicca rigatur humus.
Hoc ſtudiumque operamque tibi pręſtabo libenter:
Dum poſſit meus hic utilis eſſe labor.
Dicam igitur quoſcunque amnes vulgata celebres
Fama per antiquas denotat hiſtorias.
Ordiar a Gallis: ſuſcepti carminis ordo
Exigit ut patrius pręficiatur Arar.

GALLIAE FLVVII.

BVrgundos Araris placido ſecat, & Dubis alveo:
Deſſubris rapidis at prius auctus aquis.
Allobrogas Rhodanus celeri perlabitur unda,
Lugduno, & pulchra ſe Avenione rotans.
In Rhodanum urget aquas Alpina Druentia: curſu
Maſſiliam gaudet Rauraris ire brevi:
Saxoſam linquit deſerta rupe Pyrenen,
Narbonæ humectat qui ſata mitis Atax.
Celtarum fines Aquitanis terminat agris
Santonicas ſuetus ferre Garunna rates.

Oceanum

Oceanum Arverno Ligeris petit amne Britannum,
Aedua ſed primùm & Pictona rura lavans.
Parrhiſios mediis qui Séquana dividit undis,
Belgarum a Celtis ſeparat arva plagis.
Gallica Campanos præterfluit Axona Rhemos:
Collibus ortus abit Mátrona Lingonibus.
E Vogeſo manans Eburones atque Sicambros
Alluit, & Rheni ſe Moſa miſcet aquis.
Lingonicum Auſtraſii jactant cum laude Moſellam:
Quem Sela & flavo duplicat amne Madon.

ANGLIAE.

OXonios Tameſis, Tamarus præterfluit Anglos:
Declivi fluvio quos, Tuberole, rigas.

GERMANIAE.

RHenus ab Alſatis ad Belgica littora tendit,
Frumenti hinc dives, fertilis inde meri.
Suevus in Euxinum pelagus devolvitur Iſter
Latè Pannonicis antè vagatus agris.
Vindelica ora Lycum, Pegneſum Norica ſervat:
Lætantur vitreo Suevica regna Nicrò.
Oenus ab Alpina demanans rupe Tyrolos
Prꝑterit, & Boios Danubiumque petit.
Luppia Veſtfalicis, Catthorum prodit ab oris
Vnda Ameſi, campos quæ rigat, Emda, tuos.
Prima Turingorum e ſaltu fluit unda Viſurgis:
A Francis ortus eſt tibi, Mæne, jugis.
E ſilvis Albi ſumma exit origo Bohemis:
Quem poſt Saxonica navita lintre premit.

Marchiacos Viadrus Moravorum finibus ortus
Tranſgreditur campos, & Pomerane tuos.
Iſtula Sauromatum vaſtis ſpatiatus in arvis,
Balthica confuſis æquora pulſat aquis.
Pannonicus Savum Calapys permixtus adauget:
Dalmata in Adriacos ferris Iadre ſinus.

HISPANIAE.

AVriſer occiduę Tagus intrat Doridis undas:
Et ſe Tyrrhenis miſcet Iberus aquis.
Hiſpanus Durium fulvis extollit arenis:
Lantabrum Bænis pręterit amne ſolum.
Tarraco in herboſi piſcatur flumine Vaccæ:
Rimatúrque tuas, lente Terebris, aquas.
Limpidus Heſperiam Sicoris decurrit Ilerdam.
Labitur Hiſpano vortice Cinga celer.
Hiſpalis ad placidi fundata eſt flumina Bæthis:
Quem Tarteſſiaci ſuſcipit unda freti.

ITALIAE.

PApia Ticino eſt, Atheſi Verona ſuperba:
Vt glauco Patavi mœnia Medoaco.
Culta Placentini vitreus Trebia alluit agri:
Fatidicæ Mantûs Mintius arva ſecat.
Eridanum Galli gaudent tranare togati:
Ad cujus ripas ſuccina fulva legunt.
Felſina lætatur Rheno, Tergeſte Timavo:
Sebetho tellus Parthenopea ſuo.
Cæſena Rubicon deſcendit Arimini ad agros:
Vndę petit fines, uda Ravenna, tuos.

Flaminiam ſulcat Sapis vicinus Iſauro:
Atque ſuo humectat prædia Cruſtumio.
Nobilis Hetrūſcum Florentia ſuſcipit Arnum:
Qui dehinc Piſana non procul urbe fluit.
Auſonius Tuſcis ducens a montibus ortum,
Romæ ad Tyrrhenum ſe mare Tybris agit.
Sulfureis Anien Tibur præterfluit undis:
Allia Cruſtuminis collibus ortus abit.
Sarnus Campanos lavat, & Vulturnus: Acerras
Non æquus Clanius fuſus inundat aquis.
Vmbria Flaminij ſulcat vada lintre Metauri:
Sulfureo campus Nare Sabinus olet.
Vejentes Cremeram Fabiorum cæde rubentem
Monſtrant: Hyrpinis Aufidus inſtat agris.
Quem verrit Volſcis Amaſenum nauta phaſelis,
Laudatos viridi gramine paſcit equos.
Vmber Clitumno, Calaber maduiſſe Galeſo,
Appulus ut Dauni flumine gaudet ager.
Exceptus miſsis Minturnenſi urbe Fregellis,
Tyrrhenæ miſcet flumina Lyris aquæ.
Vt Brutios Tanagrus, Calabros Sybarisq; Cratiſque
Alluit: at Fabarim terra Sabina bibit.

SICILIAE.

PLimnyriū Siculi, atque undas biſaporis Himeræ
Potant, & lymphas, herbifer Aci, tuas.
Trinacrium ſollers verrit piſcator Alábim:
Teque hamis tentat, pulcher Haléſe, ſuis.
Sicelides jactāt Thymbrimque, Chryſamque Gelāq;
Et te qui Nilum, pinguis Elóre, refers.

Agros Symæthus, Crimniſus, Atyſque Sicanos
Fœcundant, placidis atque Pachiſus aquis.
Imo volvis aquas affinis Orete Pachino:
Tuque Syracuſio fonte, Aretuſa, fluis.

CRETAE.

HAurit Cretæum cultor Gortynus Oaxem.
Gnoſia per rivos prata, Cerete, rigas.

HEſperiam per utramq́, & per ſola Gallica, perq́,
Teutona præcipuę hæ regna feruntur aquæ.
Nunc tu quę ripis decurrunt diſce Pelaſgus:
Queis Aſia & Libya ſicca rigatur humus.
Flumina quæ Graiis olim currentia rivis
Reddiderant cultum fertilitate ſolum:
Quędam amiſerunt curſus occulta priores:
Et ſubter terras gurgite preſſa latent.
Eurotas celeber quondam Lacedæmone ſalva,
Nunc vacuus nullis alveus aret aquis.
Si Xanthum & Simoënta roges in Troade, nemo
Oſtendet Xanthum vel Simoënta tibi.
Cætera mutarunt peregrina nomina lingua:
Cúnctaque barbarico ſerva ſub hoſte fluunt.
Si tamen antiquas vis me perſcribere voces,
Ordine diverſo ſingula quæque lege.

GRAECIAE.

ALluit Aetolos Achelóus: Theſſala Tempe
Penéus rivis uberiora facit.
Vmbrifer Apidano ſua flumina miſcet Enipeus:
Cephiſique vadis Atticus humet ager.

Bœotis, Permeſſe, plagis Muſis ſacer erras:
Eſt ubi Palladio clarus honore Melas.
Inachus Argivos: Sperchíus Theſſala rura
Irrigat: Amphryſum Pharſalis ora bibit.
E Phthíâ manant ſuaves Haliácmonis undę:
Sthymphalidas pulſat lentâ Eraſinus aquâ.
Mygdoniam Chilorus Macedo petit: Apſus & altum
Adriacum: ut molli flumine Láus adit.
Penéum Titaréſe ſubis: Celadone tumeſcis
Alphée: at Genuſus Theſſala culta lavat.
Piſęo Alphéus qui emergit in Elide fonte,
Manat apud Siculos ore, Arethuſa, tuo.
Agro Parrhaſius decurrit ab Arcade Ladon:
Labitur Aetólis flavus Anigrus aquis:
Bœotis Iſméne places: Aſópon & iidem
Laudant: Cecropiam tinguit Iliſſus humum.
Arcas Limpíâ, Aetólus lavat Atrace puro,
Callidromo atque Olyra corpora Thermopylæ.

THRACIAE.

EX Rhodope Ietérus abit: cadit Athrys in Iſtrum,
Et Thrax Evenus per Calydona fluit.
Maſſagetas Margus rapido præterfluit alveo:
Byſtonias præceps Compſacus auget aquas.
Et curſu celerem Neſtum, Thearum Darío
Pergratum, & Liſſum Thracia dives habet.
Odryſium Rhodope colles protendit ad Hebrum:
Strymonis Orphéam vindicat unda chelyn.

SCYTHIAE.

BVthes & Gerrus, fulviſque Arimaſpus arenis,
Et celer haſtatos fert Tyris amne Getas.
Glaucus Halys, Phaſiſque tumens, Sagariſq́; ſonorus
Euxini gelidis excipiuntur aquis.
Carpis, & Ordeſſus, Cyanuſque, & lentus Iâxes
Volvunt per refugos flumina lata Scythas.
Thermodon præceps, rapidique Boryſthenis unda,
Et Tanaïs Scythię rura, Hypaniſque rigant.

ASIAE.

GRanicum Bithyne bibit, Troaſque Careſum:
Et ſua Phryx Hermi pocula miſcet aquis.
Mǽandro Phrygia eſt, Troas perfuſa Caico:
Pactoliq́; auro Lydia flavet humus.
Tarſenſis Cilices laudant vada cœrula Cydni:
Smyrnæi ripas Ionis ora Melis.
Oxum Aſiæ deſerta bibunt: Cilicemque Charadrum
Cœnoſis metuit nauta ſubire vadis.
Lydia olorini perfunditur amne Caîſtri:
Rhyndacon extollit Myſia jure ſuum.
Leúcoſyri Cilices, Lypariſque, Lamique fluentis
Culta ſui reddunt fertiliora ſoli.
Iònię populi Geſſi, ſimul Axonis undis
Corpora, ſunt quoties feſſa labore, lavant.
Cénchrius Ortygiam cannoſo permeat alveo:
Capro eſt atque ſuo Caria lęta Lyco.
Cappadocas rapido tranſit torrente Ceraunus.
Auges Thermiacas, Axie mitis, aquas.
Armenium Medo Tigrin ferit amne Choaſpis:
Cyro erat Gyndes caſtra tenente minor.

Imbri-

Imbrifer Aſſyrias Euphrates diluit oras:
Seque Semiramiam per Babylona movet.
Farfarus e Lybano: ex Carmelo Belus ad imam
Defertur Syriam cum ſinuante Bada.
In ripa ludunt Medi florente Niphatis:
Et ſe Chaldæo purgat Oronte Syrus.
Tigribus Armeniis Scythicus potatur Araxes,
Médaque barbarico flumine rura lavat.
Vnda coloratos Gangis præterfluit Indos,
Gemmiferiſque vehit flumina lata vadis.
Raucum Ochus reſonans, & arundine ſeptus opacâ,
Indica prociduo gurgite regna terit.
Caucaſeo in Gangem qui ſe rotat Indus ab ortu,
Nyſæi auriferas ſorbet Hydaſpis aquas.

AFRICAE.

FErtilis eſt Phario tellus Mareotica Nilo,
Qui gravidam læto ſemine reddit humum.
Bragada per Libycas tepidus defertur arenas:
Afraque Cyniphio gens levat amne ſitim.
Cum diti grandes profert adamante pyropos,
Mauro qui gaudet Rhinocerote Melas.
Bamboti innumerus ſerpit crocodilus in undis:
Æthiopum cujus terra liquore madet.

AD ILLVSTRISSIMVM POTENTISSIMUMQUE PRINCIPEM, IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, Comitem in Veldens & Sponheim.

LIBER SECVNDVS.

Vt placuiſſe tibi librũ teſtére priorẽ,
Nec fruſtra noctes tot vigilaſſe querar:
Hos, Princeps, Elegos vultu ſpectabis eodem:
Aut finges lectos, vel meruiſſe legi.
Tanta etenim fuerit laus illis, judice quanta
Te veniet, facilis dummodo adeſſe velis.
Hos tibi ne offerrem tenuis ſibi conſcia Muſæ
Doctrina, & timido fecerat ore pudor.
Sed tua me audacem reddit clementia: pectus
Mite etenim docti Principis eſſe ſolet.
Inque bonas artes ſtudium propenſius: in quo
Non vidére tibi ſæcula noſtra parem.
Iamque tuum viſus ſum promeruiſſe favorem.
(Teſtatum ſcriptis quod tua dextra dedit.)
Is jubet hoc domini meritis ſacrare volumen:
Mentem aliquo poſthac quod probet officio.
Si ſupereſt poſt fata aliquid de nomine noſtro,

Poſte-

Poſteritas ſciet id muneris eſſe tui.
Quas ventura mihi quoniam poſt funera laudes
Fama paret cura eſt, ſit tamen illa levis.
At quęcunque Charis dictarit, quæque Camœna,
Teque genuſque tuum quo licet ore canent.
Sic magno dicent te ſucceſsiſſe Parenti,
Virtute atque animo ut ſitis uterque pares.

AD EVNDEM.

PRinceps quo nec habet quicquã Germania majus,
Nec quicquam antiqua nobilitate prius.
Quem Muſæ, quẽ Phœbus amat, quo præſide gaudet
Pallas, ſeu tractet Martia, ſive libros.
Non ego ſum ignarus, fortunatiſsime, quantis
Propritim cumulent te aſtra ſecunda bonis.
Quamq́, tibi exacta librentur ſingula lance:
Lyncæis penetres quàm omnia luminibus.
Ecce tamen ſtolido nimium temerarius auſu,
Audeo judicio hæc propoſuiſſe tuo.
Vt videam nugaſque meas, ſtultoſque labores
Inter quiſquilias verrier, atque teri.
Suſpenſoque Apinas iſtas, doctiſsime, naſo
Excipere, & ſanna carmina digna tua.
Sed fallor: paſsim multo clementior audis:
Plebeium, Princeps, non geris ingenium.
Nec juvat hæc ſubito te ſubſannare cachinno,
Nominibus quæ ſunt inferiora tuis.
Vt bonus es, tu dona boni ſic conſulis, ut non
Cum faſtu abjicias quæ minus apta putes.
Gratia ſumma venit ſummis: mediocria laudes
Non tamen amittunt quantulacunque ſuas.

Diſcutis ex æquo libra momenta fideli
Omnia, conſilio quæ ſapiente regis.
Quemque locum teneas benè noſti: & fronte ſerenâ
Deſuper, ut par eſt, inferiora notas.
Quòd ſi non recipis, meritis niſi congrua, nemo
Æquabit laudes, Dux generoſe, tuas.
Non qui Mæonio cantavit Pergama plectro,
Dulichioque dedit nomina clarà Duci.
Non qui grandiſono mandans Æneïda verſu,
Deſcripſit Latia non imitanda tuba.
Altior es, quàm quem majoribus incrementis,
Aut fama, aut virtus inclyta promoveat.

AD PAVLVM MELISSVM.

GAudeo te Venetę delectatum eſſe Phlogillę
Hiſtoria, & vafris obſtupuiſſe dolis.
Heic non diverſo eventu te Alpina puella
Quanta ſit immodico vis in amore docet.
Quę tu (ſi ſtudio graviore, Meliſſe, vacabis,
Atque id permittent ocia) pauca leges.
Venerat Adriacæ viſura palatia gentis,
Et ſuaſu fatui Cæciliana viri.
Mirari non ſat potis eſt delubra, plateas,
Pictaque diverſis atria marmoribus.
Quæque peregrinis tolluntur tecta columnis:
Quęque volant paſſim per vada ſalſa rates.
Sed magis extremo merces oriente petitas:
Quicquid opum Ganges, pictus & Indus habet.
Et multo teneras auro radiare puellas,
Et comptas nulla ruſticitate nurus.

Stamine

Stamine fulgentes Serum diſtinguere veſtes,
Et cincinnatis carbaſa ferre comis.
Sic placuere viri comi ſermone diſerti:
Inque Cupidineis nata juventa jocis.
Alpinis poſthac valeant, ait, oppida muris,
Et quę dumoſa mœnia rupe latent.
Et ſtrumoſa domo claudantur turba puellæ,
Et quæ mammoſa pectora mole tument.
Ille inter pecudes,& ovilia ſordida feſſæ
Calloſa verſent fœda fimeta manu.
Et vir ab agreſti nuper qui ſumptus aratro,
Rauci, propter opes, induit arma fori:
Ebrius ignitis hypocauſta calentia flammis
Incolat:& largo proluat ora mero.
Me me delectant Italæ ſpectacula terræ:
Hęc loca ſunt patria divitiora mea.
Blanditiæ, luxuſque,& quę jucunda voluptas
Exhibet, heic ſedes primo in honore tenent.
Sobria gens mavult Veneri ludiſque vacare,
Quàm potu, aut nimio membra gravare cibo.
Felix OEnotrio quæcunque ſub æthere nata eſt;
Quæque ſuę potuit gentis habere virum.
Vt mihi forma nec eſt vulgaris,& ora genaſque
Sic non mendaci murice tincta gero.
Eſt coma Callaicum ſpecie quæ vinceret aurum:
Céllaque ſunt patria candidiora nive.
Omnia ſunt mecum, cultus niſi deeſſet: at ille
Non deerit nobis, dummodo amare velim.
Nec fuerit mihi amor forſan contrarius, illum
Promoveat placida ſi Cytherea face.

O mihi ſi detur de tot modò millibus unus,
Pomponi, es votis anteſerende meis.
Tam tua me certa perſtrinxit arundo ſagittà?
Tam collimatum cuſpide vulnus alo.
Ricius audierat queſtum plorantis, & ægram
Solatus, poſthac tu mea, dixit, eris.
Annuit illa, ruitque in baſia, complexuq́,
Hæret, & indomitis ignibus uſta furit.
Ruſticus amiſſa luget conſorte maritus:
Prẹmiaque inſanẹ ſimplicitatis habet.
Pœnitet, at ſerò, Venetas vidiſſe paludes:
Pendat ubi naulum conjuge triſtis amans.
Quid de plebeia dicemus, Paule? videmus
Hæc quoque regales vertere ſẹpe domos.
Vidit ut Idẹi faciem paſtoris & ora,
Gemmatos torques, purpureoſque ſinus,
Vrbe Terapnẹa Troiam Spartâque relicta,
Auſa Phereclẹa eſt Tyndaris ire rate.
Viderat Aeſonidẹ clavato pallia limbo
Phaſias, & Graia Dorica texta manu:
Colchi ſint, dixit, viles, Ipſẹaque mater,
Æẹteſque ſenex, Chalciopeq́, ſoror:
Ad Danaos ibo, & Magnetida ſubſequar Argo.
Inſtar eris patriẹ, tu Pagaſẹ, mihi.
Quid dicam Ægiden, quem Gnoſia virgo ſecuta eſt,
Minoos Theſeo poſthabitura lares?
Quid quæ fatali ſpoliavit crine parentem?
Créſſaque privigno ſẹva noverca ſuo?
Quẹlibet infirmi ſexus teſtantur Erinnyn
Tempora: & inſtructos fraude doliſque toros.

Forma,decor,cultus,blandę facundia linguę
Mollia pertentant pectora mille modis.
Peccavit fateor, cupidis Pomponius auſis,
Hoſpitis agreſſus ſollicitare fidem.
Sed gravior multo eſt alpinę culpa puellę,
Cui thalami viſa eſt cura virique levis.

IN NVPTIAS LVDOVICI MOUSTELII BAUROGGErii & Ioannæ Bolææ.

MAjorum ſplendor,juvenis generoſe,tuorum,
Fulgide Neuſtriacæ nobilitatis honos.
Cùm tibi naturæ data ſint bona cuncta favore,
Queis dici jure hęc vita beata poteſt:
Stemma illuſtre,decus, mens ſana in corpore ſano,
Gratia,divitiæ,robur, & ingenium:
His ſtudio acceſſit,pietas,moréſque politi,
Et virtus præſtans militiæ atque domi.
Cumq; tuis titulis accedere gloria nulla
Poſſe videretur,riſit amica Venus.
Vxor habenda,inquit,nulli virtute ſecunda,
Quę tibi det natos vultu animóque pares.
Parte ſui meliore caret, quem cęlibe vita
Hærentem nulla conjuge donat Hymen.
Conſilium placuit: votúmque probante Minerva,
Ingreſſa eſt thalamos Iana Bolæa tuos.
Nortmannis qua nulla plagis illuſtrior unquam
Viſa eſt ad ripas, herbifer Orne,tuas.
Nulla unquam Oceani ad littus prudentior,aut cui
Hæſerit in tenero pulchrior ore lepos,

Mille petita procis cùm eſſet, mille illa repulſis
Vnum prępoſuit te, Ludovice, virum.
Nec temere elegit ſuadente id Pallade: nàmque
Vt tu illa, ſic te digna puella fuit.
Quod felix fauſtumque igitur ſuccedàt utrique
Conſilium: Et blandi fœdera amica tori
Inter vos ſtabili firmet concordia nexu,
Et qui perpetuo tempore duret amor.
Nec minùs extremos pòſtquam venietis ad annos,
Sicut amabis anum, diliget illa ſenem.

AD PETRVM LEPIDVM METENSEM.

NEc fortuna tibi contraria: nec tibi vitę
Conditio ulla in re, Petre, dolenda venit.
Nam benè ſi trutines ęquata ſingula lance,
Quę tu de Superis pauca queraris erunt.
Corporibus vegeti tibi ſunt materque paterque:
Divorumqne valet munere tota domus.
Caſta tuæ thalamos ſervant penetralia Iannûs:
Qua non eſt tota mitior Auſtraſia.
Iam teſſellatis vagit tibi parvula cunis
Annula, ſollicitæ dulce parentis onus.
Regia honore pari tu exerces munia: ſuntque
Nunc, quibus innumeris anteferaris, opes.
Anne parum eſſe putas, quòd nil tibi deficit horum,
Iſta quibus dici vita beata poteſt?
Quòd culti patrio verſentur vomere ſulci,
Et ſpument plenis dulcia muſta cadis.

Quòd

Quòd cingas latis ſpatioſos ſepibus hortos,
Alcinoum quales incoluiſſe ferunt.
At quòd rara fides, quòd & ad ſua cōmoda quiſque
Spectet amicitias utilitate probans:
Magna tuam, ut video, ſubit admiratio mentem:
Scilicet hęc noſtris res nova temporibus.
Si neſcis, Pyladem (juncta ut ſit fabula vero)
Delirum & fatuum ſacula noſtra notant.
Suſpenſo quiſquis recitabit Theſea naſo,
Et, pro quo ſubijt vincula, Pirithoon:
O homines ſtultos! dicet: non iſta pericla
Pro patre pro natis ſint ſubeunda mihi,
Nemo mihi, ac meritò, eſt me carior: hinc procul eſte,
De quorum cenſu non mihi præda venit.
Vivo mihi: prodeſt hodie nulli ſua virtus:
Prȩſtat hero certam ſola crumena fidem.
Sic ſibi quiſque ſapit, Lepide, & ſic vivitur, ut te
Commoda ſi deſint, nullus amicus amet.
Vidi ego natorum foribus ploraſſe parentem, &
Subtracto invalidum procubuiſſe cibo.
Vidi, proh facinus, dotem quȩ impenderet ultro,
De medio ut matrem tollere cæde queat.
Deſeruere ſuos quot (res eſt priſca) maritos?
Toxicaque incautis propoſuere viris?
Rara nurus ſocero eſt hodie, generoque fidelis
Socrus: privigni mixta aconita bibunt.
Et ne conciperent, plures hauſere venenum:
Auſæ aliȩ fœtus dilaniare ſuos.
Non hoc ſuaſit amor, thalami aut deſertor Iaſon:
Non rapto pellex inſidioſa toro.

Iudice me veniam, Phędra & Sthenobæa, meretis.
Collata his quantùm tu pia, Phaſis, eris!
Victa Cupidineo quoniam pręcordia torre
Iudicium vobis, córdaque ſuſtulerant.
At magis his hodie patrant crudelia cuncti:
Dum mente atque animo, dum ratione valent.
Ille animi affectus noſtri manſuetior, & ius
Naturę, humanum quo genus omne coit,
Languet, & exili perſtringit pectora flamma:
In multis major cernitur eſſe feris.
Erga decrepitos reverentia nulla parentes:
Quare? horum culpas ultio juſta ſubit.
In varias hi ne minuant patrimonia partes,
Barbarica inceſtant impietate domos.
Tres fuerint natæ? binæ claudentur, eruntque
Perpetua ex voto virginitate ſacræ.
Vt matura viro, & dulci ceſſura Hymenæo
Heres rem patriam tertia ſola ferat.
Sic quoque de natis eadem ſententia lata:
Qui rem poſſideant unus & alter erit.
Neve opibus reliqui excludi videantur avitis,
Huic mitræ & curvi cura relicta pedi.
Ille cucullata ſuccinget pectora palla:
Servabit Melitæ littora quartus eques.
Sic malè proviſum eſt aris: peiuſque miniſtris
Ararum, inviti dum loca ſacra colunt.
Ingrata eſt Superis hominum vi impulſa voluntas:
In nobis illi libera corda volunt.
Sed nos nec Superos curamus: commoda noſtra
Quęrimus: hęc nomen relligionis habent.

Nec

Nec ſcelus eſt ullum, quod non prætextus honeſti
Diluat, aut aliqua non ratione tegat.
His callum obduxi dudum: & ſic eſſe neceſſe
Vt credam, mores lexque recepta jubent.
Quid facias? monitis ſi nemo páreat. At tu
Qui cadit, ut caſu fac graviore cadat:
Vt qui de ſcopulo quondam detruſit aſellum.
Nolentem nunc eſt namque juvare nefas.
Quippe foris cæcum & ſurdum tibi proderit eſſe:
Vidiſſe alterius crimina ſæpe nocet.
Te ſtudia illa domi teneant, quorum expedit uſus.
Quę patrię atque tuis utilia eſſe queant.
Quòd tibi ſi aſſiduè tractata negotia portent
Tędia, queis placidè tu recreeris habes.
Seu tibi populea libeat recubare ſub umbra,
Quà circumfuſis ſunt ſaliceta vadis.
Seu vitrei latices cymba tranſnare Moſellæ,
Et citharę docta fila movere manu:
Applaudet tenero colludens filia riſu:
Tractabitque fides, impedietque modos.
Et ſi objurgetur tanquam importuna canenti,
Suaviolum patrijs imprimet illa genis.
Parvaque convertens ad matrem brachia Ianno,
Effictas blando molliet ore minas.
Hæc dum perpendes, huius faſtidia vitæ
Non venient: nec quę te gravet ulla dies:

AD IACOBVM PASCHARIVM LOTHARINGVM MEDICVM.

OPtime amicorum Paſchari, cognita cujus
In dubiis rebus mens ſtudiumque mihi eſt:
Ferre tui deſiderium ſine fine jubebunt
Me Superi? nec te rurſus ut antè frui?
Atque laboranti afflictis ſuccurrere rebus,
Et dare quam poſcit preſſus amicus opem.
Opprimit immeritum fortuna advuerſa Philonem:
Obrutus, & cæcis eſt Philo merſus aquis.
Auxilium implorat mediis jactatus in undis:
Nec re quiſquam inopem conſiliove juvat.
Siccine nos veterem non agnoſcemus amicum?
Nec mœſta tanget pectora noſtra prece?
Di procul avertant ſcelus hoc: ſolabimur ægrum,
Conſiliiſque tuis, conſiliiſque meis.
Nec te meque priùs fruſtra coluiſſe queretur:
Sed benè ſervatam fido in amore fidem.
Excipiam laribúſque meis, opibúſque juvabo:
Hunc, ceu germanum, nempe Richartus amat.
Heu quàm difficilè eſt adverſam avertere ſortem!
Et conjuratis aſtra inimica polis!
Non ſemper Virtus ſectatorem eximit illis,
Quæ nos circunſtant parte ab utraque, malis.
Non tibi vel probitas, vel neſcia fallere vita
Portum, quò fugeres, prꝗſidiumque dedit.
Sed tanquam appoſito invitavit flamina velo,
Quæ te precipitem per vada cæca darent.
Aula, Philo, aſtutos homines vafroſque requirit;
Integritas riſu non niſi digna venit.
Te docui hos caſus olim, jam doctior uſu:
Nam mea per pelagus prora cucurrit idem

Suaſor

Suaſor enim fueram ſcelerata relinquere tecta,
Et pueri frænos & muliebre jugum.
Sed tua ſimplicitas jam exceperat ore capiſtrum,
Vinclaque non facili diſcutienda modo.
Quòd ſi judicium, ſi mens non læva fuiſſet,
Debueras monitis cautior eſſe meis.
Nec tibi compedibus ſervare ergaſtula duris,
Nec faſtus hominum ferre neceſſe foret.
Idque quod imperitat iuvenis moroſa voluntas,
Iúſſaque vel ſervo non toleranda levi.
Quid facerent hoſti poſt longa incommoda capto?
Si benefactorum fers mala damna loco.
Nauplius Euboici ſalebroſa in rupe Capharei
Vltricis bilem leniit igne facis,
Iuſta odia exercens: Iræ Palamede perempto,
Non levis injuſtum cauſſa tribunal erat.
Raptor Oilides ſcopulis jactatus in iiſdem,
Commiſſa in Phrygia Phœbade furta luit.
Perfidus abducta periit Calydonide Neſſus,
Auxilio Lapithas Atracis ulta viri eſt:
Totque alii pœnas vindicta urgente dederunt:
Sed perpetratum eſt pœna ſecuta ſcelus.
Nec quiſquam ex Divis, aut ex Heroibus unquam
In culpæ vacuos exeruit gladium.
Nt Phalarin dicas, aut cum Scyrone Procruſten:
Buſirim, aut Alopes cum genitore Scinen.
Aut quibis immani vita acta tyrannide, quoſque
Eumenidum flagris devovet orbis adhuc.
De quorum numero fueris, quicunque Philonem
Innocuum tacita proditione premis.

Illiúſque mala labefactas tabe quietem:
Carpis & occultis otia prima dolis.
Tempus erit, quando qui illum fecere nocentem,
De mixto inviti pocula felle bibant:
Hoc ſenis ingenuus promittit candor, & illa
Explorata ſatis per duo luſtra fides.
O præceptorum miſerum genus: e quibus ille
Siſyphio demens ſaxa labore rotat:
Nobilium quiſquis dubio dependet ab ore:
Verbaque ſollicita qualibet aure notat.
Pollicitis vacuam tardê parientibus arcam
Ille implebit, & his illico dives erit:
At ſi colla iugo vel latum ſubtrahat unguem,
Ampullata illi ſpeſque laboſque perit:
Siccine fallacis vanus placet ambitus aulæ?
Et ſemper viridis, ſed ſine meſſe, favor?
Vt bona libertas precio vendatur & auro,
Quod ſeniĳ extremo non niſi ſine venit.
Quàm meliùs ſapiunt, qui parvo aſſueſcere docti,
In tenui prandent ruſtica farra caſa.
Fumoſi partem lardi, piſumve, gulave
Teutonicos caules eſuriente vorant.
Pane domi nato, rebúſque fruuntur inemptis,
Et parcis quos dat parva culina cibis.
Hi neque dura ferunt torvi faſtidia vultus:
Signa nec auſteræ frontis iniqua pavent.
Mollia poſtponunt villoſo ſerica panno:
Et craſſa ſpernunt frigus in endromyde.
O te felicem, ſimili ſi ſorte potiri, &
Tam facili cœlum conditione ſinat.

Sed

Sed tua, care Philo, eſt Lacheſis tibi durior: illa
Vincta catenato fata labore dedit.
Fluxam operam ludis ſterili incurvatus arenæ:
Non profecturo vomere littus aras.
Perfer & obdura interea, & potioribus inſta.
Irati ſemper non furit ira Iovis.
Nunquam tam tetrico eſt fortuna obnoxia vultu,
Reſtituat verſa quin meliora rota.
Nemo bonus vita felix reputandus in iſta:
Noſtra alio ſpes eſt conſtituenda loco.
Arx tamen invicta, & nullo expugnabilis aſtu,
Conſcia nullius mens ſibi facta mali.
Roborat, atque hominem facere eſt potis illa beatum:
Cætera non ſtabili ſtantque caduntque pede.

AD EVNDEM.

IMpoſitum eſſe doles contra jus faſque Philoni:
Hoc tua te pietas, hoc facere urget amor,
Non equidem miror fieri jam talia, namque
Non levius ſtudium me quoque torſit idem.
Si benè quid fiat, fit conſuetudine priſca:
Si malè, ſic melius mos novus eſſe vetat,
Tu potius mirere, bonum ſi videris uſquam:
Saturni tales tempora protulerant.
Virtutem coluiſſe hodie eſt ſtultumque nefaſque:
Truditur, & riſu non niſi digna venit.
Tu promiſſa putas in debita poſſe relabi:
At contra opponit ſeſe hodierna fides.
Spes ingens fuerat promiſſis facta Philoni:
Paſchari, nulla lege tenetur herus,

Cùm famulo verbis ſeſe obligat. Illa vetuſtas
Antiqua nimium ſimplicitate rigens,
Tunc dominis ſanctê juſſit promiſſa tueri:
Turpe fuit lucro poſthabuiſſe fidem.
At nunc longê aliud ſapimus, prudentia longê
Major: quod doceat rectius, uſus habet.
Deliri præcepta ſenes auſtera ſequantur:
Libertas nulli eſt ſubdita noſtra jugo.
Conſilia eventu metimur cuncta ſecundo.
In ſola Virtus utilitate ſedet.
Inſipiens fuerit, qui rumpere pacta veretur,
Prætextum quoties lucra futura dabunt.
Tres quamvis tantùm tibi ſit dolus utilis horas,
Sic benè fallacem proderit eſſe tamen.
Quiſque ſibi vivit: cur multum publica curet,
Qui, niſi quæ recipit, commoda nulla putat?
Sic hodie inter nos, Paſchari, vivitur: & ſic
Preſſa loco Virtus inferiore jacet.
Mitis erat quondam regum ſuprema poteſtas,
Et domini in famulos mitius imperium.
De domino ſtuduit ſervus benè poſſe mereri:
Et domini cura hęc digna favore fuit.
Si te ſedulitas ſemper ſine fruge fatigat,
Nec tibi parta quies, nec tibi partus honos:
Commoda ne ſperes ſeris capienda ſub annis:
Cur ſis alterius, cùm tuus eſſe potes?
Pollicitis adhibere fidem temeraria res eſt.
Simplicitas vulgi luditur iſta joco.
Dum fueris domino florentibus utilis annis,
Spes tibi promiſſis maxima ſemper erit.

Sed qui credulus his fidit, fulcitur inani
Veri umbra, & bulla, quam tumor inflat aquæ.
Hujus ab exemplo quod diſcimus: omnia fecit
Quæcunque officio digna fuere ſuo.
Debuerat fieri cùm poſt quadriennia dives,
Hunc vacuum argento jam duo luſtra vident.
Crediderat verbis, ſcriptura fulta nec ulla,
Propterea illius eſt reddita vana fides.

AD IACOBVM SANTALBINUM TRECENSEM Medicum.

DVm jucunda teris pacatę tempora vitę,
Suntq; tibi ſtudiis otia parta tuis.
Scrutaris ſollers naturæ arcana, juvaſque
Noſtra Machaonius mœnia conſiliis.
Teque beant partuſque favor, ditiſque peculi
Proventus, lecto & quæ cubat Anna tuo:
Dumque tenes tutos dimiſſo remige portus,
Nec maris emenſi longa pericla times:
Tu me jactatum pelago, fragilique carina
Errantem dubii per vada cæca freti
Hortaris, totis contendam ad littora tonſis.
Ne tandem quaſſam ſubruat unda ratem.
Votiviſque miſer populo de more tabellis.
Signa mei oſtentem triſtia naufragii.
Vtile conſilium das, Santalbine, ſodali:
Sed me non ſinit id ſors inimica ſequi.
Non licet ab divos mihi tam ſperare faventes,
Fortuna ut poſſim commodiore frui.

Quinquaginta & ſex ætatem duco per annos,
Eſque mihi luſtris patria dempta novem.
Hoſpes in externis vixi regionibus, idque
A puero: & ſortem hanc patria dura tulit.
Laudaui tamen ingratam, injuſtiſque peperci
Civibus, ut videar non nocuiſſe bonis.
Nunc mihi Metenſes inter peragenda ſenectus:
Eſque loco patrii, culte Moſella, Dubis.
Heic deſiderium cognatæ gentis amici
Imminuunt, quorum eſt jam mihi nota fides,
Perſpectique animi, ſicut res poſcit & uſus:
(Antiqua cives heic probitate valent.)
Vivo tamen cælebs: faciunt mihi dulcia Muſæ
Otia, ſive urbem, ſeu magis arva colam.
Tu tamen eſſe putas miſerum peregrinus haberi,
Et, quòd durius eſt, juſſa aliena ſequi.
Serva maritali me ſubdere colla capiſtro,
Vt poßim proprio vivere jure, voles.
Præſtare id potui quondam florentibus annis,
Ardorem robur dum juvenile dabat.
Dum potui vegetæ uxori non ſegnis haberi,
Atque Cupidineis aptior eſſe jocis.
Nunc mihi ſanguis iners circum præcordia languet,
Et variat nigros candida barba pilos.
Cana caput ſunt porra quidem, caudaque virenti:
Vendibile hac hedera ſed nequit eſſe merum.
Aut ducenda mihi eſt intacto flore puella,
Aut cui jam primum contegit urna virum.
Crambem bis poſitam ſequitur Libitina. ſecundi eſt
Intolerabilior fœmina conjugii.

Coge-

Cogetur dominæ imperio parére ſuperbæ,
Qui viduę infauſtis nubſerit auſpiciis.
Nunc dotem objiciet, tędaſve proterva priores
Prętferet, & veteris gaudia priſca tori.
Nunquam lata domus, nunquam ſine lite ſiniſtra,
Noxque die pejor, nocte futura dies.
Si mihi virgo datur, canos exoſa ſeniles,
Diſtortis fugiet ſuavia noſtra labris.
Aut veſtes poſcet, gemmas, redimicula, vittas,
Et picta Italica Serica texta manu.
Quod lateri parcam, ſupplendum nempe crumena:
Sed latus & loculos hauriet ipſa dies.
Reſtabis, curvate ſenex, & inutilis annis,
Pulchraque ramoſa cornua fronte geres.
Adſpicieſque tuo rivalem in limine, quem tu
Cognatum credas conjugis eſſe tuæ.
Paucula, ut errorem firmet, dabit oſcula, tequè
Ficto indulgentem leniet obſequio.
Nota erit impoſtura tibi, ſed ferre juvabit
Si ſapias: lædet diſsimulata minùs.
Sors hac contemptis ſenibus communis ubique.
Me miſerum, ſi crux hæc ſubeunda mihi eſt.
Quin potiùs primæ ſecter veſtigia vitæ:
Nec ſternas thalamos, feſte Hymenęe, meos:
Muſęo immoriar. Faciles mea cura Camœnæ:
Quas dicar juvenis, quas coluiſſe ſenex.
Providit noſtrę domini pia cura ſenectæ:
Meque vetat curis, pauperiéque premi.
Deque ſuo cenſu libellas ille trecentas
Legavit poſthac annua dona mihi.

Non equidem locuples hoc munere factus abibo:
Sat fuerit, ſi non prorſus egenus agam.
Supplebunt reliquum quę mî patrimonia reſtant:
Et qui fraterno vomere cultus ager.
Et non vulgaris ſupereſt quæ ſumma peculi,
Quæ functo heredi patre relicta mihi eſt.
In patriam reditum dum ſęva injuria claudit,
Solus, & externa dum vagor exſul humo,
Quicquid id eſt, fratri totum concedo Richarto:
Cui (quod vult pietas) maxima cura mei eſt.
At tibi dum cuncta arrident, cœlumque benignum
Blanditur fauſtis dum tibi ſideribus:
Vive diu felix, o Santalbine, tibique
Vt favit, faveat ſemper amica Venus.
Tręcarumqne decus dicare illuſtre, juveſque
Noſtra Machaoniis mœnia conſiliis,
Quæ morbos arcere queant: Medicina ſenectam
Nunquam herbis noſtram corriget aut thalamis.

LVDOVICO MALARMAEO I. C. VESUNTINO.

TE licet aßiduis vigilem reſpublica curis
Occupet, & ſtudiis nocte dieque vaces:
Pauca tamen veteri concedes ocia amico:
Horula colloquiis ſufficit una meis.
Non ut inutilibus diſperdas tempora nugis,
Effugiat totus vel ſine fruge dies:
Heic, tibi quod proſit, ſimul & delectet, habebis,
Quodq; det exigua commoda multa mora.

Te teſſel-

Te teſſellato quamvis perſæpe fritillo,
Nonnunquam & talis ludere fortè juvet.
Quandó lauta paras geniali prandia menſa,
Aut laxare animum feſta ſubinde monent.
Tunc opportunum tibi erit, Ludovice, libellum hunc
Tradere, quem vultu liberiore legas.
Proponit variis cælata Emblemata ſignis,
Diverſam ut tractant ſingula materiem.
His ego deſcribo noſtræ mala ſæcula vitæ,
Quæ ſcelerum & luxûs obruta peſte jacent.
Sancta odium, & ſannę populi ludibria Virtus
Attrahit: at vitio laus magis ampla venit.
Nemo hæc ignorat: nulli tamen hiſcere tutum eſt:
Sic hodie verum dicere nempe nocet.
Non heic mordaci perſtringam ſcommate quenquam:
Non ſum qui ſcripto tam petulante jocer:
Sed faciam, quod tu quondam jucunde Poëta,
Cui patria Heſperia Bilbilis urbe fuit:
Namque docebo modũ hunc noſtrum ſervare libellũ,
Dicere de vitiis, parcere nominibus.

AD RICHARTVM BOISSARDUM FRATREM.

FOEmineas quicunque minas uxorius horret,
Et timet imbellis jurgia vana coli,
Dignus erat calathos ſervare, & penſile linum,
Tortaque degeneri ducere fila manu.
Sed qui blanda ſuæ faſtidit verba puellæ,
Et tetrico placidas reſpuit ore preces,

Mœreat in viduo privatus conjuge lecto:
Solus & inſenſo triſtis amore cubet.
At tua ne titulis Michotæa tumeſcat avitis,
Laudo prudenti dum ratione caves.
Illa tuæ domui quamvis det jura, ſuiſque
Ancillis, Frater, ſedula præſideat,
Nomen habet dominæ: domini tibi ſumma poteſtas:
Illi ſummus honos, dum tua juſſa facit.
Blandiciis quę tu condis. Nam fallitur omnis,
Vxorem famulæ qui jubet eſſe loco.
Non facit ad caſtę ſervandum uxoris amorem
Fastus, & immodici ruga ſupercilii.
Sentiat at ſocii partem ſe juris habere:
Sit tamen obſequiis prompta placere tibi.
Natorum curam gerat hęc, & ſtamina tractet:
Atque viro artifici pallia texat acu.
Et quando venient ſternendæ tempora menſę,
Illa tibi docta pręparet arte cibum.
Quem ſimul accipiat ſimul exhilaranda recumbat:
Et guſtata tibi pocula deinde bibat.
Vtilius peragenda foris celabitur, & quę
Publica pro patrio munia cive geris.
Talia commodius coniux tua neſciet: illam
Tutelam domui ſufficit eſſe tuę.
Nam quò plus tuleris, tanto magis eſſe ferendum
Stulta putat: ſervat fœmina nulla modum.

BERNARDINO PATERNO
MEDICO PATAVINO
G. G. nomine.

Astra

Aſtra dedit Superis Virtus non quælibet: at quæ
Humanum fovit per benefacta genus.
Qui meliùs de gente ſua potuere mereri,
Illos fecerunt ſæcula priſca Deos.
Implevit meritis Gortynia Iuppiter arva,
Erecta eſt merito protinus ara Iovi.
Actæam Pallas fundavit legibus urbem,
Huic crepuit feſtis laurus aduſta focis.
Vt docuit populos vini Semeleius uſum,
Doctori cecidit victima grata caper.
Quis nato Alcmena dios ſacravit honores?
Auxiliatrici monſtra ſubacta manu.
Nunquam fulſiſſet radianti Delius oſtro.
Alipedes frænis impliciturus equos:
Is niſi conſiliis homines juviſſet & herbis,
Atque ægros medica ſæpe levaſſet ope.
Denique ſi prima repetas ab origine mundum,
Et benè quæ fuerint tempora quæque notes:
Invenies benefacta Deos feciſſe, poloſque
Ad ſuperos facilem conciliaſſe viam.
In quorum numero poteris mihi jure reponi,
Mæcenas ſtudii ſpeſque decuſque mei.
Tu mea ad Aonios duxti veſtigia fontes,
Plena ubi Caſtalio pocla liquore bibi.
Heic licuit vidiſſe ſenem, quo Coa ſuperbit
Terra, Claronque ſibi non putat eſſe parem,
Et (qui Theſſalici ſpelæa reliquerat antri)
Chironem, Æmonium flectere voce Ducem.
Quemque colit vaſto tellus Epidauria templo,
Atque Amythaoniæ lumina bina domus.

Illic ſedit Arabs Avicenna, & principe docto
Læta eſt Eoæ gens Nabathæa plagæ.
Quique pererrato eſt vigilantior orbe Galenus:
Et Meſue: & fuſcum turba ſecuta Rhaſim.
Quotquot & Heſperia ſub utràque fuere: ſacræque
Arti non ſegnes applicuere manus.
Quos norunt Celtę, quos Teutonis ora fatetur
Ditis fatales impediiſſe minas.
Te quoque conſpexi nitido fulgore coruſcum,
Inter primævos multa docere Patres.
Et cùm noſtra acies tua non penetraret ad ora,
(Longê etenim a tanta luce remotus eram.)
Quæſivi a Muſis, quæ proxima ſederat: oro,
Cui micat OEbalio murice palla, quis eſt?
Subjicit hæc paucis. Patavini eſt ille Paternus,
Quo gaudent hodie docta Lycea chori.
Audieras: quis enim quicquam te celet? & iſtis
Mellita es viſus ſolvere labra ſonis.
Procede in medium, Gernere, pudore repulſo:
(Ingenuus mea tunc tinxerat ora rubor.)
Nunc tibi Apollineis velentur timpora vittis:
Et cingat flavas Pæonis herba comas.
Vt cui viroſis cedant aconita venenis,
Morbus, & infeſta toxica dira lue.
Sollertem Stygiis oppone ſororibus artem:
Tartareoque audax obvius ito cani.
Teque licet ruptis Fatum implacabile fuſis
Increpet, & legem ſcriptam adamante citet:
Iura Machaoniæ propone potentia dextræ.
Forti animo eſto: Deo vindice victor eris.
Dixiſti,

Dixiſti, ambroſioque caput mihi rore rigaſti,
Exornans habili pectora noſtra toga.
Tunc ego conceptis verba hæc lętiſſima votis
(Cum Phœbo annuerat turba novena) tuli.
Herbipotens Latoë pater, cui Cyrrha Clarosque
Servit, & invicto Delos amata Iovi:
Quique oculis latum luſtras radiantibus orbem,
Occultoque favens ſemine cuncta novas.
Et quæ Pimplęas colitis Libethrides undas,
Cincta ubi perpetuo ſilva nitore viret:
Vos quoque, de quorum pręceptis hauſimus artem,
Qua ſimiles magnis credimur eſſe Deis.
Vos, inquam, teſtor, poſtquam patrio orbe receptus,
Brunduſii in parva mœnia valle colam.
Sive operam poſcat noſtram Burgundio, ſive
Alſato ſtudijs utilis eſſe queam:
Aut clara excipiar generoſi antiſtitis aula,
Rauraca commiſſo qui regit arva pedo.
De vivo ſurgent vobis altaria ſaxo:
Donaque vel Divis non renuenda dabo.
Thura pijs precibus ſociata adolebo, perenni
Qui vireat circum gramine ceſpes erit.
Deque mea poſſim ſi quid regione mereri,
Acceptum omne tibi, docte Paterne, feram.
Inque tuas laudes Dubis & Deſſubris abibunt:
Et Lycus, & lento gurgite fuſus Arar.
Quemque tegit furvo Cruſus ſpelunca receſſu,
Brennus, & undoſis Cepa volutus aquis.
Et fluvij quotquot Burgundis finibus orti
In mare pręcipites per vada longa ruunt.

Hi tua concordi tollent encomia voce:
Applaudes motis, alte Lomonte, comis.
Hæc tibi dum a nobis referetur gratia, dices
De non ingrato ſic meruiſſe juvat.

AD IACOBVM MONAVIVM VRATISLAVIENSEM PATRIcium: in ejus Symbolum.

VIr bonus & ſimplex, & quẽ fraus nulla ſubegit,
Qui recti eſt ſervans, juſtitiæque tenax,
Hunc non percellant Pharii Buſiridis aræ,
Quique Perillæum torruit igne bovem:
Nec timeat, quamvis confracti machina mundi
Deſuper horrendo quaſſa fragore crepet.
Impavidus vaſtis ſubmittet colla ruinis:
Illi tuta arx eſt præſidiumque Deus.
Conſpirent licet in me, inquit, contraria cœlo
Sidera: ſit tellus hæc inimica mihi.
Frendeat atque ſuis in me Djs torvus ab umbris,
Turbaque Tartareum quæ Phlegethonta colit.
Chriſto committam meaque, & me. Spes mihi nunquã
Irrita: namque illo vindice tutus ero.
Ipſe etenim faciet de victa ut morte triumphem:
Sitque mihi æterno munere parta quies.
Hæc tua, Monavi, mens eſt: emblemate qualem
Deſignat faciens iſte viator iter.
Cui quamvis inſtent a tergo & fronte procellę,
Obrutus aſsiduis & videatur aquis,
Impavido tamen ille animo perdurat, & urget
Securus ſtatuit quam priùs ire viam.

Nulla

Nulla fatigatum ſudore notaverit hora,
Seu mane aut ſero ſidere veſper erit.
Omnibus occurret pacata fronte periclis.
Namque illi in media eſt morte repoſta ſalus.

DE CHILONE.

FOrmam in amicitia ſi tantùm Chilo requirit,
Formam poſthabito Chilo amat ingenio.
Hinc fit ut impuro me bellua rideat ore,
De forma veniat quòd mihi cura levis.
Si mihi cincinnis minimè eſt ſpectandus amicus,
Sed cui villoſis barba ſit hirta pilis:
Hiſpida qui nullo attritus ſit pumice crure,
Fuſcus & impexa qui tegat ora coma:
Corporis ut membris, ſic ille eſt mente virili:
Robuſti ut formam militis eſſe decet.
Sardanapalæo recubans tibi ſemivir oſtro,
Et pingui levis dropace cevet amans.
Livida compreſſo pallent tibi labra cinædo.
Et gravis obſcœno eſt putida bucca ſero.
Te licet Aßyrij perfuderis unguine moſchi,
Panchæoque nitens ſpiret odore ſinus,
Id crebro juveni ſtomachum moviſſe notatum eſt:
Dum cedunt olido pharmaca victa trago.
Vt placeam, Serum veſtes, unguenta ve, nec quis
Gemmato articulos annulus orbe premit:
Sed Muſæ faciunt, Phœbeaque numina: namque
Me meus abſque ulla labe ſodalis amat.
Fallimus integras ſtudiis communibus horas:
Martia nam docta temperat arma chely.

Virgineamque colit ſtudio ſollerte Minervam:
Præſidet illa armis, præſidet illa libris.
At tuus Actæam poſſet laſſare Cotytto,
Mollior Idæo ſit Corybante licet.
Qui patiturque & agit, firmo latere (ut validus ſit,
Et medio in curſu ne ilia ducat) eget.
Sumptibus hinc nullis, ſtudio nec parcitis ulli,
Vt tento vobis inguine vena crepet.
Sed quicunque tuum limis ſpectabit ocellis,
Zelotypum certis te arguet eſſe notis.
Rivalem excipiens tranſverſa tuentibus hirquis,
Sollicitiostendis pectoris indicium.
Suetus & indomita prurire libidine nervus
Subſidet exanguis, contrahiturque metu:
At mea, Virtutis titulos quæ amplectitur, ullis
Objectis lædi neſcit amicitia.
Quæ tibi florenti facies ætate probatur,
Contemptam domino tarda ſenecta dabit.
Quam colo, decrepitis etiamnum augebitur annis:
Rugoſa ut poſſit pulchrior eſſe cute.
Quilibet hinc mentem diverſam cernit utrique:
Virtutis ſpecimen namque amo, Chilo pates.

DE LIPPO.

Mortuus eſt Chilo, factuſq; anathema Nydartus:
Optaram neutri tam grave ſupplicium.
Nunc revoco quicquid generi æmula facta Lycambis
Læſa cruentato carmine Muſa tulit.
Noſtra odia erga illos, inimicaque nomina ceſſent:
Exoſos ſummis ſufficit eſſe Deis.

Ne ta-

Ne tamen a Nemeſi fruſtra exorata queratur
Vltio, & in vanas tandem abiiſſe minas:
In Lippi decerno caput ſacra vota: ſiniſtro
Licia per nodos pollice torta trahens.
Et trado flammis rhombo intertexta quaterno
Ejus in Illyrica nomina tincta pice.
Devoveoque hominem diris, Erebique profanis
Manibus, & ternis ſontem animam Furiis.
Et quod Chiloni quondam eſt ſocioque dicatum,
Vltro equidem atque volens id tibi, Lippe, ſacro.
Heres ſis quorum eſt illis donatio facta
A nobis: faciet ſyngrapha certa fidem.
Invade abſque mora quod munere cõtigit: atque his
Dignus ut es ſpoliis, Lippe, ſuperbus abi.

DE EODEM LIPPO, AD PETRUM FRIDERUM Mindanum.

HArpocratẽ ſimulare loco, eſt laus magna, Fridere:
Qui minimè curat facta aliena ſapit.
Et pudet & tædet toties in bella ciére
Caſtalidas, ſanctæ quæ bona pacis amant.
Diſcordes animos nempe averſantur, & horrent
Archilochi infeſtæ ſcripta cruenta manus.
Accuſare etiam pravos odioſior eſt res:
Ex defendendo laus tibi major erit.
Sed quis tam vecors, larvæ qui obtemperet? atque
Iura dare hanc populo qui ſine bile ferat.
Quis videat monſtrum hoc, teneatque ſilentia, mores
Corrigere, & ſemper de pietate loqui?

Exardere odiis, & conjugis ora proterva
Putida mordaci garrulitate pati.
In luxum ſtomachari hominum, vitamque fluentem,
Pectore cùm mollem ſcurra gerat Sybarin.
Certè has nequitias mutus qui præterit, inquit,
Dum tacet ille, ſibi cordis ineſſe parum.
Diſsimulare libet, ſcabiem hãc neque tangere (porcus
Immundo verſet tergora fœda luto)
Sed ſtultum eſt pro thure fimum mercarier: atque
Virtutis vitium detinuiſſe loco.
Tam veſanum ardens vexat dementia pectus,
Vt Divûm Lippus vellet honore coli.
Vult Curius dici, cœnas cùm cœnet Apici:
Heſternoque ſatur nauſeet uſque mero.
Cùm mitem ſimulet, non illo vipera pejor
Dente furit, tigris nec truculenta magis.
E pluteo adlatrat populum, & quę crimina patrat,
Hæc olido miſeris imputat ore reis.
Vis placare hominem, & rictus cohibere caninos?
Cernuus & ſupplex hunc reverenter adi.
Offer te, officiumque tuum ſerviliter: atque
Iuſſa ejus, quamvis imperioſa, ſubi.
Primaque in inſtructis pręfer ſubſellia menſis:
Nec niſi vina unquam ſac generoſa bibat.
Hunc admirare: & divino númine tanquam
Afflatum ſollers ſingula finge loqui.
Quicquid agat dicatve proba, licet omnia jura
Polluat, inque Deos turpia quæque vomat.
Protinus ad ſacri admittéris munia cœtus:
Et populi judex conſtituére tui.

Dicéris

Diceris bonus, atque abſervantiſſimus æqui:
Sis quamvis patriæ proditione nocens.
Iuraque confondas divina, humánaque: quid tum?
Integra erit tanto vindice fama tibi.
Audebitque tibi nemo obtrectarier: in te
Quiſquis frendebit lege profanus erit.
Vſque adeo prodeſt homini te reddere amicum:
Servitium quamvis hæc ſit amicitia.
Quàm gratum eſt te noſſe! aveo te, Lippe, mereri.
Sed conviva tamen non potes eſſe meus.
Ornabo titulis ſemper te & nomine ſacro:
Ibis ſis aliis, tu mihi Anubis eris.

AD LINVM SAGATIVM NVCERINUM.

NObilis agreſti quid agat, Line, quæris in aula,
Qua vivat ruri Plautia mundicie?
Oeſypa dum redolet, caulas, & ovile, pecuſque,
Stercus, & immundæ ſpurca fimeta caſæ:
Algentem ſerò modico ſubit igne culinam.
Tractat & illota fercula parca manu.
Semeſum ſcabra verſat ſartagine piſcem:
Aut corrupta putri præparat ova garo.
Aut caulem erucis arroſum miſcet olivo,
Quod ſtabuli nigra fece lucerna dedit.
Hoc ſe (ſed tantùm natali luce) ſaginat
Plautia, natali conveniente cibo.
Devorat & panem paleis & furfure piſtum:
Et vappam (e vili quam tulit utre) bibit.

Hanc vitæ inſtituit rationem, vincat ut una
Sordibus, & ſtolida ruſticitate pecus.
Aſt ubi venter edax latrante voragine poſcit
Quem prolatum avido glutiat ore cibum,
Ferventi plenas exhaurit fauce metretas:
Sorbet & ardenti pinguia jura gula.
Farta decem, elixi vervecis pectus, & armus,
Et cum criſtata pulpa trilibris ave,
Et lactes, vitulique jecur vix ſufficit uni:
Immodicoque urens coxa ſuilla ſale.
Interea famulos (tenuis quos trama figuræ
Vix notat, & macies, & carioſa cutis)
Larvatis ſimiles ſpectris nidore culinæ,
Et crebris fœdi ructibus oris alit.
Inclyta nobilitas montano digna cucullo,
Et circum cujus colla botellus eat.
Cui fragrans olido fiat paſtillus oleto,
Et ſubeat bullæ marcida perna locum.
Hanc, Line, cùm vitam rurali vivat in aula,
Non alia digna eſt Plautia mundicie.

AD LIVIUM ALGERIUM CAMPANUM.

DIßimules licet, oſtendit pallorque pudorque
Te captum ardenti pectus habere face.
Vix ſcabies & amor tegitur, vix igneus ardor:
Produntur proprio ſæpius indicio.
At tu, quòd celes me vulnera facta ſodalem,
Falleris: eſt gravior pectore tectus amor.

Dum

Dum refugit medicum, mens nō feret agra medelam:
Sed deploratis languida rebus erit.
His aliquando miſer raperer dum naufragus undis,
Vix tetigi lacera littora tuta rate.
Signa meis cæcus ſpoliis ornata ſequebar,
Turpiter uſta truci ſtigmata ab hoſte gerens.
Nec tamen hanc cladem licuit ſentire, priuſquam
Pronus in extremum laberer exitium.
Tunc Metanœa ſolo ſolata eſt ſera jacentem:
Surge, ait: egreſſum res habet iſta ſuum.
Sume animos audax, & firmum robora pectus
Sollicitent: ac te ſis memor eſſe virum.
Inſanire tibi licuit, dum fata ſinebant
Mitia: clementes experiere Deos.
Sit ſatis ætatis primos luſiſſe per annos:
Sæpe per hæc nimium ſtulta juventa furit.
Ne tamen ultricem cœleſtis numinis iram
Acceleres, rupta littora puppe cape.
Spes tibi ſit per me renovandę certa ſalutis:
Ne dubita: capies patria tecta redux.
Dixit, & eripuit vaſti de gurgite ponti,
Error quo pridem me meus abſtulerat.
Hinc mihi libertas vitæ revocata prioris:
Acquiſita mihi eſt hinc rediviva ſalus.
At te non pejor manet exitus, optime Livi:
Si tempeſtiva plaga juvetur ope.
Vincla reluctanti dextra meretricia rumpe:
Placato ſupplex at prius ito Iovi.
Qui tibi languentes ad pugnam roboret artus.
Si pugnes tanto vindice, victor eris.

Præcipites inſtant, a tergo & fronte ruinæ:
At tibi præ foribus ſiſtitur auxilium.
Te fortunatum ter & amplius æſtimo, ſi tu
Exemplo potis es cautior eſſe meo.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM IOANNEM COMITEM Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, Comitem in Veldens & Sponheim.

HACTENVS iſte legi potuit liber, optime Princeps:
In quo ſunt crebris ſeria mixta jocis.
Quod ſupereſt triſtes lacrymas, planctum atque querelas
Continet: eſtque piis Manibus omne ſacrum:
Flecte viam retro, atque oculos averte ſerenos:
Quos nulla carpi fas tibi triſtitia.
Heic quoniam pullis regnat Libitina feretris,
Cui frontem inviſam nigra cupreſſus obit.
Illam implacato comitantur numine Parcæ,
Terribili nentes ſtamina pulla colu.
Circa animæ (non quas Rhadamanti cõmovet urna,
Quæque ad Minois verba ſevera pavent,
Terreat aut latrans quas Cerberus ore triſauci:
Funereaque vehat trans Styga lintre Charon.)
Sed quas indigetat cœleſti munere Virtus:
Et fama æternum vivere poſſe dedit.
Illa iter ad ſummi facturæ templa Tonantis,
(Vita ubi perpetua parta quiete datur)

Munera

Munera amicorum accipiunt extrema libenter,
Cinnama, & incenſis thura cremata focis.
Et nardum, & caſiam, & ſelecta liguſtra, roſaſque,
Et te, purpureas tincte amaranthe comas.
Et quicquid pietas ſolet officioſa ſepulchris
Conferre, & triſtes ſolvere ad inferias.
Heic igitur per te liceat mihi carmine mæſto
Fundere poſtremis ultima dona rogis.
Et lacrymas animis noſtras ſacrare piorum,
Queis poßit noſter ſe exonerare dolor.
Vt ſæclis aliqua teſter ratione futuris,
Quos mihi perpetuo fœdere junxit amor.
Qui mihi non ſolùm colitur dum vita ſuperſtes,
Integer a ſumma morte ſed eſſe ſolet.

IN EFFIGIEM DOMITII FAINI VERONENſis hoſpitis ſui.

Dilecti effigies nunquam moritura Faini,
Quæ functi nobis hoſpitis ora refers:
Vt tortum video circum tua timpora crinem,
Et mento criſpis vellera fuſa pilis:
Vt gemini flammas mæſtus contemplor ocelli,
Et qui vivaci fulget in ore decor,
Tum ſubit illius conjunctio temporis, arcta
Quo nos fraterno vinxit amore fides.
Impia quam nullo potuit diſcordia morſu
Vellere, fallaci nec violare manu.
Tum fuerat, memini, noſtrûm ſcopus unus utrique,
Obſequio integros continuare dies.

Præcipites inſtant, a tergo & fronte ruinę:
At tibi præ foribus ſiſtitur auxilium.
Te fortunatum ter & amplius æſtimo, ſi tu
Exemplo potis es cautior eſſe meo.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM IOANNEM COMITEM Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, Comitem in Veldens & Sponheim.

HACTENVS *iſte legi potuit liber, optime Princeps:*
In quo ſunt crebris ſeria mixta iocis.
Quod ſupereſt triſtes lacrymas, planctum atque querelas
Continet: eſtque piis Manibus omne ſacrum:
Flecte viam retro, atque oculos averte ſerenos:
Quos nulla carpi fas tibi triſtitia.
Heic quoniam pullis regnat Libitina feretris,
Cui frontem inviſam nigra cupreſſus obit.
Illam implacato comitantur numine Parcæ,
Terribili nentes ſtamina pulla colu.
Circa animæ (non quas Rhadamanti cõmovet urna,
Quęque ad Minois verba ſevera pavent,
Terreat aut latrans quas Cerberus ore trifauci:
Funereaque vehat trans Styga lintre Charon.)
Sed quas indigetat cœleſti munere Virtus:
Et fama æternum vivere poſſe dedit.
Illa iter ad ſummi facturę templa Tonantis,
(Vita ubi perpetua parta quiete datur)

Munera

Munera amicorum accipiunt extrema libenter,
Cinnama, & incenſis thura cremata focis.
Et nardum, & caſiam, & ſelecta liguſtra, roſaſque,
Et te, purpureas tincte amaranthe comas.
Et quicquid pietas ſolet officioſa ſepulchris
Conferre, & triſtes ſolvere ad inferias.
Heic igitur per te liceat mihi carmine mœſto
Fundere poſtremis ultima dona rogis.
Et lacrymas animis noſtras ſacrare piorum,
Queis poßit noſter ſe exonerare dolor.
Vt ſæclis aliqua teſter ratione futuris,
Quos mihi perpetuo fœdere junxit amor.
Qui mihi non ſolùm colitur dum vita ſuperſtes,
Integer a ſumma morte ſed eſſe ſolet.

IN EFFIGIEM DOMITII FAINI VERONENſis hoſpitis ſui.

Dilecti effigies nunquam moritura Faini,
Quæ functi nobis hoſpitis ora refers:
Vt tortum video circum tua timpora crinem,
Et mento criſpis vellera fuſa pilis:
Vt gemini flammas mœſtus contemplor ocelli,
Et qui vivaci fulget in ore decor,
Tum ſubit illius conjunctio temporis, arcta
Quo nos fraterno vinxit amore fides.
Impia quam nullo potuit diſcordia morſu
Vellere, fallaci nec violare manu.
Tum fuerat, memini, noſtrûm ſcopus unus utrique,
Obſequio integros continuare dies.

Quò plus officii quis præſtitit, hoc fuit ille
Major: in his Virtus æmula noſtra fuit.
In reliquis vidére pares nos Djque hominesque:
Nec plus quàm nobis tunc tibi juris erat.
Succeſſu indoluit Fortuna domeſtica tanto.
Heic non parva mihi gloria reſtat, ait.
Obruere infirmas tenuis victoria turres:
Si validis obſtem, laus mihi major erit.
Neutrius pectus noſtro penetrabile telo eſt:
Morte opus eſt: ſola morte labaſcet amor.
Ecce lues Venetam exhauſit jam flebilis urbem:
Medoacique eadem mœnia peſtis habet.
Occidat alteruter, ſi non ſuccumbat uterque:
Claudus erit ſaltem ſic mutilatus amor.
Dixit, & extemplo tua per præcordia virus
Injicit: at ſubitus corripit oſſa tremor.
Frigidus è toto manabat corpore ſudor:
Claudebatque tibi pallidus ora metus.
Excuteris tepido pavefactus mente cubili,
Et madido hirſutas imbre rigante genas.
Occidimus, Boiſſarde, inquis, dulciſſime: vitæ
Hacce tuus finem luce Fainus habet.
Dj quorum imperium eſt, cœlique, ſolique, ſalique,
Numina devota ſæpe rogata prece:
Peccavi, fateor: peccato debita merces
Eſt mors: at mortis victor Ieſus homo eſt.
Credo & confiteor ſupremo numine natum
Hunc: verumque Deo de genitore Deum.
Huncq; hominẽ intacta factum de Virgine, paſſumq;
In cruce non merita robora dira trabis.

Plura.

Pluraque ſint quamvis omni mea crimina dicto,
Ille tamen fuſo ſanguine cuncta luit.
Surrexit victor victa de morte Ereboque:
Sacravitque alto rapta trophęa Patri.
Hunc quoniam geminis humiles amplectimur ulnis,
Securi firma credimur eſſe fide.
Nec flammas Cocyti, aut duri Ixionis orbem,
Nec metuo Furiis torta flagella tribus.
Tu mihi, Chriſte, ſalus, tu factus, Chriſte, redemptor:
Tu nec ovem e proprio me inficiare grege.
Ecce animam hanc cōmendo tua tibi morte redēptam.
Ne tibi ſit precio vilior illa ſuo.
Talia cum gemitu rumpebas dicta frequenti:
Arctatas vocis peſte adimente vias.
Et tibi conceptis ardebant viſcera flammis,
Iamdudum internis exagitata rogis.
Pectora tum digitis nigro ſtillantia tabo, &
Durum mortifero tracto tumore femur.
Et quicquid remedi potui conferre veneno,
Intrepida noſti me applicuiſſe manu.
Conſolor triſtem verbis, relevoque dolorem,
Sed non his gravior morbus habebat opus.
Lurida contactu ne te contagia lædant,
Parce tuas, inquis, contemerare manus.
Terque ſalutiferi repetito nomine Chriſti,
Extremum dixti, dulcis amice, Vale.
Ecce ad felices animas, cœleſtiaque aſtra
(Gratia Djs) ad vos non rediturus eo.
Te ſi fata velint ſupereſſe, memento Faini,
Et matris poſthac ſit tibi cura mea.

Finieras: oculos caligo in morte natantes
Occupat: & longa lumina nocte ſubit.
Annueram: lacrymis facieſque madebat obortis;
Artus cùm ſenſu deſtituente tuos,
Te ſenſi implicitis circum mea colla lacertis,
Carum cervici depoſuiſſe caput.
Suſpiranſque altis ſingultibus expiraſti,
Preſſaque ſunt membris pectora noſtra tuis.
Heu mihi, cur poſt te ſolem vidique tulique?
Cur non conjuncto funere ſuccubui?
At volui, fateor: lucemque homineſque refugi:
Et dolui tecum non potuiſſe mori.
Sum tamen amplexus: tuaque ora per oſcula preßi:
Applicuique tuis noſtra labella genis.
Exſuxique animæ quicquid reſtabat: at intus
Frigida Lethæis aura fluebat aquis:
Heu, geminis iterum planxi mea pectora palmis,
Vt vidi gelido corpus inane toro.
Adſtabat Pariſola parens, & Francus, & Almo:
Luce priore Helene Silviaque occiderant.
Nos tua cum lacrymis mandavimus oſſa ſepulchro,
Et thure & ſertis ſolvimus inferias,
Nil de te nobis reſtat, niſi cura laborque,
Et deſiderium, culte Faine, tui.
Reſtat at effigies dilecti conſcia vultûs:
Quamvis ſit cordi notior ille meo.
Quæ tamen externa ſuperant mihi ſigna tabella,
Illa tuas ſubeant officioſa vices.
Si qua mei ad ſeros veniet pars nominis annos,
Teſtis amicitiæ eſt illa futura tuæ.

DE SEIPSO.

Cùm poſt Faini obitum mœrore contabeſcens, febríque continuâ æger, moriturum ſe arbitraretur.

VT ſolet accepto Lædeus vulnere mœſtum
Ad vada Mæandri clangere carmen olor,
Sic mea decantans moribunda funera voce,
Flebilibus ſolor proxima fata modis.
Lurida Lethæa febris præcordia tabe
Occupat:& gelidus proluit ora liquor.
Lumina deficiunt:in gyrum cuncta videntur
Verti,& nox oculis incubat atra meis.
Pallida mors inſtat:tremulis tinnitibus aures
Obſtrepuere: iſtos dat fera Parca ſonos.
Sentio amicorum ploratibus omnia plena:
Nemo tamen noſtrum eſt auſus adire torum.
Diffugêre omnes:perierunt vota preceſque:
Obſedit primas peſtis acerba fores.
Prudenter vobis iſta ratione cavetis;
Funeris heu vobis ſat dedit una domus.
Deſerto extinguar ſine ceſte & luce cubili?
Nec ſitienti aquulam dextera fida dabit?
Lumina nemo aderit mihi qui digitiſque labella
Comprimat?& torto tollat ab ore minas?
Praſtiti id officii tibi,culte Faine:ſuprema
Cùm tibi crudeles intulit hora manus.
Par referat merito,ſi quis mihi reſtat amicus:
Nullus adeſt,præſtet qui mihi amicus opem.
O utinam heſterna dum luce Fainus obiret,
Clauſiſſet noſtros mors ſimul una oculos.

Dum mea compreſsis arctavit colla lacertis,
Inque meo caram reddidit ore animam.
Efferri capulo tempus juſsiſſet eodem,
Componique uno corpora bina rogo.
Mortuus es, lacrymiſque piis tua buſta ſubiſti:
Indeplorati funeris umbra tegar?
Et mea funeſtę raptabunt membra quadrigę?
Et, qua componar, nemo notabit humum?
Nonne ego deliro? qui terra noſtra creavit
Corpora, in hanc iterum quaſſa redire jubet.
Non, quē cernis, homo eſt, ſed qui ſuper aſtra volabit
Spiritus, & Superis annumerandus erit.
In cinerem redeat caro putrida, tectaque terra
Deliteat: liber ſpiritus aſtra petat.

DE SEIPSO.

Cùm peſte ſe correptum putaret.

EXpectata dies venit, qua luce perenni
Tecum in cœleſti ſede, Faine, fruar.
Languida mortiferum mihi pectora frigus oberrat:
Corque mihi vita deficiente labat.
Hoc deerat votis (Di ſic voluere) quod uno
Non poſſum tecum claudier in tumulo.
At ſi fata negent nobis commune ſepulchrum,
In cœlis eadem gloria utrumque manet.
Inſcribet ſaxo, ſi quis mihi reſtat amicus,
Qui curet noſtri funeris exequias:
Hoc ſitus eſt, vixit qui quinque decennia, buſto
Si vita exſilium eſt continuuſque labos.

Nemo

Nemo alius meliore fide dilexit amicum.
Dives in hoc tantùm: cætera pauper erat.
Illi theſaurus libertas, candor, amorque:
Has heic divitias credidit eſſe ſuas.
At tu, qui legis hęc, lacrymas compeſce, viator:
Si gratus noſtris Manibus eſſe velis.
Pręſtitit hoc Fatum, ut vita meliore fruiſcar:
Sitque mihi ex omni parte beata quies.

INFERIAE.

Ad tumulum Domitii Faini: C. A. B. auctore Boiſſardi nomine.

Accipe poſtremum lugentis munus amici.
Solvendum triſtes munus ad inferias,
Hoſpes adempte mihi, heu crudeli funere adempte,
Aeterna junctum pectus amicitia.
Nam quid ego optavi exoptandum fido ab amico,
Quod non officiis viceris antè tuis?
At mihi tot meritis non defuit æqua voluntas:
Obſtitit heu votis mors inimica meis.
Mors inimica ſuum teſtando tempus amori
Prævertit, celeri mors inopina pede.
Nil pręter lacrymas laméntaque triſtia reſtant:
Reſtat id officii, care Faine, mei.
Quod ſi aliquid Manes, ſi Lethum haud omnia finit:
Nec nihil ad verum conſcia terra ſapit.
Hęc ſunt poſt obitum ſolatia magna ſepultis.
Ipſa pios cineres ultima dona juvant.
Nulla tui ſuberunt nobis oblivia, nulla:
Hoc tibi præſtabo dum fera Parca ſinet.

Interea placidè, & feliciter oſſa quieſcant:
Atque in perpetuum, mi hoſpes ave, atque vale.

EIVSDEM AD BOISSARDUM.

FIdus Tartareas Theſeus deſcendit ad umbras,
Conqueritur raptum dum ſibi Pirithoon.
Illinc non potuit ſuperas evadere ad auras:
Nec minùs in tetro carcere prҿda fuit.
Amphitryonҿum genus, & Djs æmulus Heros,
Optatҿ luci pro pietate refert.
Sic, Boiſſarde, tui dum fles ad buſta Faini,
Et querulus mutos alloqueris cineres:
Trans Styga perrumpunt fido quҿ fundis amico
Carmina flebilibus continuata modis.
Cimmerioſque lacus, nec non Acherontica tardant
Flumina, & argutis ire vetant numeris.
Nec ſerpentifera canis in turba ore trifauci
Stridet, & eſt duras mitior ante fores.
Et tua dum recolunt ſedes in nocte profunda,
Gaudia concipiunt, Orpheon eſſe ratҿ:
Fata dolent ceſsiſſe tuis ingloria plectris:
Nec tot ab Herculea damna tuliſſe manu.
Lҿſa minùs quando lectu Epidaurius herbis
Reſtituit patriis Androgeona focis.
Certa fuere illos ſub terras poſſe reverti,
Spirantes certis corpore temporibus.
At, Boiſſarde, tuo redivivum carmine amicum
Spes non eſt ullo tempore poſſe mori.

RIN-

RINHOLDI AB. HEIDENSTEIN BORUSSI.

Tindarei ex natis cùm cœlo Iuppiter illum
Adderet, hunc Stygiis mergeret Orcus aquis:
Dicitur æthereâ Pollux modò ſede relictâ,
Alternis Erebi clauſtra petiſſe vijs.
Dumque ſuo Caſtor luceret ſidere nautis,
Mortales fratis ſuſtinuiſſe vices.
Clara quidem pietas: nam ſacro munere vatum
Aeterni meruit nominis illa decus.
Sed tamen illíus minus haud exemplar amoris
Tu Boiſſarde ſimul, tuque Faine, datus.
Hic tibi morte ſua graviorem morte dolorem
Attulit, & vitę portio dempta tuæ eſt.
Tu, quos Parca fero jam pollice ruperat, illi
Reſtituis lacrymis carminibuſque dies.
Digni hinc ſiderea cœli quibus arce receptis,
Proxima dent geminis ſigna habitanda Dei.

SIMONI CLIVERO I. C. DANTISCANO.

POſtquam hoſpes noſtris animã exhalavit in ulnis,
Debueram infeſta tunc quoque peſte mori.
Sed mala vicerunt mœſti contagia luctus:
Oppreſſitque ardens tetra venena dolor.
Ecce Myoon morbo correptus languet eodem:
Cui deſperata iuſta ſalute paro.
Chirurgum me fecit inops occaſio: namque
Aegroto eſt noſtra vena reſecta manu.

Sed dilatato qui fluxit vulnere ſanguis,
Pęnè fuit juveni proxima cauſſa necis.
At, quantùm video, peſtis conſumet utrumque:
Hoc remedi morbo provida Parca dabit.
Tunc eſt extincto mihi parcere viſa Faino,
Dimidium vitę dum tulit illa meæ.
Evaſiſſe ſemel nimium eſt, Clivere: moleſtum
Tędia ferre, quibus vita referta mea eſt.
Si moriar (miſero Superi hoc concedite munus)
Scripta libro hoc fidei paucula mando tuæ.
Incluſi exiguum chartis quod ſuppetit aurum:
Quo mihi, ſi liceat, buſta paranda velim.
Quóque loco fuerint erecta ſepulchra Faino,
Accipient iſtas marmora cęſa notas.
Boiſſardus jacet heic, qui quo eſt defunctus, eundem
Principium vitæ credidit eſſe diem.
Scire velis quid opum vivens cumulaverit? illam
Quam quærit famam vir bonus ingenio.
Cętera contempſit: non quòd nocitura putaret:
Aſt animo ut poſſet liberiore mori.

LENTVLO VENTIDIO. NUCERINO. I. C.

ME nimiùm indulgere meis affectibus uſque
Arguis, & turpi vivere mollicie.
E vincat que jubes prudentia firma dolorem,
Quem mihi paulo poſt auferet ipſa dies.
Perque jocum rogitas: Quid ſi moreretur amica,
Cujus inexauſto merſus amore fores

Non

Non tibi ſufficeret revoluti terminus anni:
Qui debet vidui tędia ferre tori.
Lentule, res loquitur verum eſſe quod arguis: & mẽ
Quàm par eſt pectus mollius eſſe liquet.
Orta bis eſt, geminumque novavit Cynthia cornu,
Hoſpitis eſt ex quo funere merſa domus:
Biſque eſt hoſpitii mutata habitatio, nobis
Sors ut mutato ſit magis aqua loco.
Tempora nec minuunt noſtros diuturna labores:
Nec moeror magna eſt anxietate minor.
Sentio ſed magis hinc quãtum hoſpes ab hoſpite diſtat:
Clariùs ex obitu hoc diſco, Faine, tuo.
Es tantùm ante alios excellere viſus amicos:
Et tua perſpecto major amore fides:
Quantùm humiles ſuperat quercus frõdoſa myricas;
Quantùm alios vincunt Attica mella favos.
Si mihi tanta rei carę jactura moleſta eſt:
Pectora ab humanis non aliena gero.
A molli differt nam purus amicus amica,
Quantùm amor a caſta cęcus amicitia.
Virtutem colit hęc, cujus veſtigia ſervat:
Ille Cupidinei eſt vanior igne foci.
Forma, anni, robur, facundia, gratia, nummi
Ne deſit facient vilis amica tibi.
Qua ſi priveris, ſubducta damna ſecunda
Penſabis: curam trudet amoris amor.
Si mundum Eois luſtres peregrinus ab oris,
Occiduę donec preſſa erit ora plagę:
Invenies ex tot vix uſquam millibus unum,
In quo aliquid certa ſubſit amicitia.

Multos noſtra ætas titulotenus ornat amici,
Nomine qui ſolos ſe, & ſua commoda amant.
Commune omnibus eſt, etiam lenonibus ipſis,
De Virtute palàm qualiacunque loqui.
Atque incorruptos verbis extollere mores:
Sed qui horum monitis páreat, alter erit.
Scis cur tam multos hodie numeremus amicos?
Rebus in adverſis núllius utor ope.
Non quòd diffidam quibus eſt propenſa voluntas
In nos, atque animo nos, ſtudiiſque colunt.
In primo vereor ſed tantùm impingere portu:
Noſtra nec experto tradere vela freto.
Hinc procul eſt animæque meę pars prima Meliſſus,
Temporibus duris præſidiumque meum.
Tu quoque abes, Paxi: patriam, Cleopaſſe petiſti:
Tu mihi vix bino menſe vidére ſemel.
Addixit Virtus caro me ſola Faino,
Aßiduiſque uſus cognitus officiis.
Hoſpitii hunc gemino jam conciliaverat anno
Conſuetudo, ulla quę ſine labe fuit.
Feſtivi mores, candor ſine fraude dolove:
Ingenuo qualis pectori ineſſe ſolet.
Non fuit Illyricæ ignarus linguęque Pelaſgæ:
Norat & Hiſpano puriùs ore loqui.
Fecit prudentem longa experientia rerum:
Et quòd diverſis vixerat antè locis.
Ille quidem primos ſtudiis formaverat annos:
Reddideratque illis cultius ingenium.
Viribus at poſtquam vegetis maturuit ætas,
Pubuit & flavis gnava juventa pilis.

Arma,

Arma, tubas, gladios, arcus, pharetraſque ſecutus,
Præpoſuit cultis Martia tela libris.
Militiæ ſtudium viginti exercuit annis,
Sub Venetis Ducibus munia prima gerens:
Inde petens Libyam, gentique admixtus Iberæ,
Protexit forti Punica regna manu.
Poſtmodò cùm furerent Galli civilibus armis,
Quinque per æſtates regia ſigna tulit.
Rurſus in Italiam viſum eſt à morte reverti
Regis, & Euganea legit in urbe domum,
Priſtina dum recolit ſtudioſæ tempora pubis,
Pergratum Muſis præbuit hoſpitium.
Meque unum ante alios tanto complexus amore eſt:
Hunc poteram cari fratris habere loco.
Nemo unquam mihi erit poſthac, cui fidere queis,
Et mea liberiùs credere ſenſa queam.
Quòd ſi ego nunc lacrymis illius proſequor urnam,
Officio res eſt, Lentule, digna meo.

SIMONI CLIVERO I. C. DANTISCANO.

DEſerere urbanæ funeſta pericula peſtis,
Ruſque implacatus ſuaſerat ire dolor.
Vt dum Medoaci gemebundus obambulo ripis,
Euganeumque ægro dum pede luſtro nemus:
Triſtitia & duris releventur pectora curis:
Fallanturq́, aliqua tædia longa mora.
Sed neque amœna meos minuerunt rura dolores:
Nec mihi ſeceſſu reddita cura minor:

Me licet umbroſis reſupinum ſilva ſub antris,
Palmitibuſque ſuis vitis opaca tegat,
Seu tremulũ vitreis plaudat mihi murmur ab undis,
Aut ſtrepat argutis rauca cicada ſonis,
Vlcera non ſanant læſam rodentia mentem,
Vlcera per nullos attenuenda dies.
Nunc ſubit extincti funus crudele Faini,
Ex caſu nobis cujus adempta ſalus.
Illiúſque parens nati mihi morte relicta
Continuis animam febribus ægra trahit.
Certa erat afflictis mihi conſolatio rebus.
Ad Calabros vertit qui Cleopaſſus iter.
Lentulus ad ripas Benaci fugit: ubi ille eſt
Mutato expertus non meliora loco.
Paxi conſilio fultus, non pauca gerebam:
Nunc petiit celeri tecta Polona fuga.
Adde quòd & patrias iterum revocamur ad oras:
Nec facilem admittunt certa pericla viam.
Peſtis ubique furit: Patavi deſerta videntur
Mœnia: ſunt ſimili ſaucia rura lue.
Deficiunt nummi, vitæ adjumenta: nec ullus
Ad nos ex Gallo nuncius orbe venit.
Nunc mihi amatarum creſcunt faſtidia rerum:
Ipſa oculis etiam lux odioſa meis.
Odi Pierias Parnaſſia numina Muſas:
Odi Phœbææ fila canora chelys.
Sordent, quos laudat pictura operoſa, colores:
Cæla, & non ſegni fuſa metalla manu.
Nec picti riguis flores plantantur in hortis:
Lecta nec arcanus ſemina ſulcus habet.

Congreſſus notos fugio, cœtuque meorum
Triſtis amicorum colloquiiſque gravor.
O utinam eripiar mundo, vel cortice lævi
Induar: aut ſubeat pectora noſtra lapis.
Aut ſaltem in fluidos abeant ut membra liquores,
Sufficient lacrymis lumina mœſta meis.
Quamcunque accipiam formã, mihi lucro erit, ardens
Me modò curarum deſinat eſſe regus.
Ecce abeo volucres ſenſim tenuatus in auras,
Qualiter abſorpta lampade flamma perit.
Interno torpent gelidæ languore medullæ:
Et nodoſa rigens vix tegit oſſa cutis.
Qui ſolidam tanto ærumnarum pondere preſſis
Contulerit nobis nemo repertus opem,
Pręter te, Clivere, manum qui tendis amicam,
Et promptum feſſo porrigis auxilium.
Dj mihi dent aliquo tam mitia corda mereri
Obſequio poſthac, parque referre pari.
Vivat at inter nos per ſæcula ſera ſuperſtes
Parrhiſiis fauſto ſidere cœptus amor.
Vt tandem patrio cùm reſtituére Gedano,
Tę non pœniteat tunc meminiſſe mei.
Me (Superos teſtor) quacunque alet hoſpita tellus,
Sive domi liceat vivere, ſive foris,
Vitam uni poſthac tibi me debere fatebor:
Fruſtrari meritis ne videare tuis.

IN TVMVLOS LAËLII CLEOPASSI HYdruntini.

SI lacrymis, Læli, potuiſſent Fata moveri,
Orta meis eſſent flumina luminibus.
Si penſò vita hæc eſſet mercabilis auro,
Nî noſtræ precio ſufficiatis opes,
Vendite agros, ædeſque meas, patrimonia, meque
Mancipium, vivat dummodo amicus, ero.
At redimi alterno ſi poſſet funere funus,
Tunc tibi eram Pollux, ut mihi Caſtor eras.
Fortè Mycenæum Strophii minùs arſit Oreſtem
Natus, dùm Scythici prȩda Thoantis erat:
Nec ſe liberiùs Rutilis injecerat armis
Hyrtacides, captus cùm foret Euryalus,
Quàm devoviſſem certo mea pectora Letho,
Vt vitȩ longis perfruerére bonis.
Nil juvat: ah gemitu cœlum laſſamus inani.
Prætereunt ſurdos irrita vota Deos.
Nil tibi ſingultus, tibi nil ſuſpiria noſtra
Proſunt: flere quidem non revocare licet,
Proh dolor, ergo jaces, & doctis ſacra Camœnis
Ante ſuum tempus pectora condet humus?
Oraque Cecropio ſtilantia nectare quondam
Appula Gargano comprimet urna ſolo?
Et nitor eloquii, & dulcis facundia linguæ,
Vrbanique ſales, plénaque verba joci,
Dignaque Arioniis muteſcent carmina plectris?
Tot bona, proh Superi, merſerit una dies?
Hei mihi, ſic ſine me potuiſti durus abire?
Nec præſens, Læli, dum morerere, fui?
Non tibi cordolium mortis ſolatus ademi:
Nec ſitienti aquulam dextera fida dedit.

Nec collo

Nec collo implicitus compreſſi his labra labellis:
Atque hauſi his animam, dum fugitura fuit.
Non erat id raptum:mea erat,quam pectore clauſit
Ille:atque illius,quam gero, jure fuit.
Cur mihi,quæ mea erant, Divę,rapuiſtis?ut orbus
Parte mei poſthac tempora amara feram.
O mors crudelis! Crudelis tu quoque,Læli!
Cur mihi non licuit te moriente mori?
Mortuus es,Domiti, noſtris effuſus in ulnis:
Nec tantùm invidię fata habuere tua.
Oſcula complexus poſtremo in fine dediſti,
Et tua ſunt lacrymis ora rigata meis.
Nil ſentire hominem fama eſt poſt funera: falſum eſt.
Ad planctus tibi ſunt lumina aperta meos.
Firmiùs atque meæ cervici hæſere lacerti:
Et ſolvi arctatę vix potuere manus.
Et mecum, quamvis lethali frigore merſus,
Non benè compreſſo viſus es ore loqui.
Conceſſum inferias atque ultima ſolvere buſto
Dona,& ſinceræ pignora amicitię.
Cur ſe nunc ſimili Cleopaſſus amore colendus
Subripit? & nuſquam conſpiciendus abeſt?
Non ſuprema dedit caro mandata ſodali:
Nec dixit moriens,dulcis amice, Vale.
At non impediet Parcarum injuria,quin te
Vt potero,juſtis proſequar officiis.
Non fudi cineri lacrymas, barbamve revulſi,
Quam manus incenſis ferret amica rogis.
Nec nardum,coſtumque dedi pullatus, & ipſos
Cinnama nata homines nata movere Deos,

Non poſui monumenta meos teſtantia luctus:
Marmora nec triſtes cęſa habuere notas:
Mœſtus ad Euganeos plorabam namque receſſus,
Cùm te Gargani noxia texit humus.
Parcere fortè mihi tunc Dj voluere nec unum
Tam multis hominem fluctibus obruere.
Te Calabra dudum rebar regione receptum:
Atque Hydruntinis ſolvere thura Deis,
Arva ubi Lædeo tibi ſunt vicina Tarento,
Quà ferris placidis, lente Galeſe, vadis.
Prima tui caſus mihi venit fama reverſo,
Pomponi ſcriptis cognita fama mei.
Prędia quà Auſtraſiis Metenſia verſat aratris
Ruſticus ad ripas, flave Moſella, tuas.
Abſens nil potui, niſi pectora tundere planctu,
Et fletu aſsiduo ſollicitare oculos.
Sed tibi vocales tumulos, & carmina ponam:
Teque canam ſciſsis tempus in omne comis.
Narrabitque olim te ſera nepotibus ætas:
Si poſt fata frui poſteritate datur.
Et vives noſtris, ſi vivant hę quoque, chartis:
Sic non ex omni parte ſepultus eris.
Quique Guiaſdovio poſitus fidoque Faino,
Is tibi pro meritis nunc ſtatuetur honos.
Cuique ſuus finis datus eſt: ſic vivere oportet,
Vixiſſe ut nunquam poſtmodo pœniteat.
Vita hominis brevis eſt, variiſque agitata procellis,
Nec ſecura quidem, nec diuturna quies.
Inter delicias, inter Veneremque jocoſque
Obrepit tacito mors inopina pede.

Mane roſa orta viget, murex quam lacteus ambit:
Pallidior, ſed jam ſole cadente, cadit.
Conditio pejor noſtra eſt: non ipſa juventa
Tuta, nec in cunis eſt puer ipſe ſuis.
Omnia deficiunt ſubito nutantia caſu:
Non expectata eſt dura ruina magis.
Sola immortales Virtus facit: illa beatos
Reddidit una homines, reddidit una Deos.

AD AMICOS.

SI mihi triſtitiæ multo plus fertis, amici,
Ex vobis veniat quàm mihi lætitiæ:
Si mihi perpetuis ſunt fata dolenda querelis,
Et dandum triſtes carmen ad inferias:
Veſtri ego depono curam: Tot ferre labores
Tædet: fracta iſtis eſt mihi vita malis.
Tandem liberiùs vivam. Mihi jam ſit amicus
Qui volet: hunc monitum terque quaterque volo.
Non fallam: hæc ideo repeto: redamabo viciſſim:
Vulgaris tamen eſt iſte futurus amor.
Si tamen in noſtro tantum ſit pectore robur:
Eſſe quod ingenuo molle in amòre ſolet.
Sum mihi ſuſpectus: ſuccumbam, ſentio: juſtum
Noſtra modum rarò ſervat amicitia.
Non ego ſum Timone ſatus: nec conſule claudo
Clavennate, bonis qui negat hoſpitium.
At cùm ſic opus eſt ut amem, ſum hac lege paratus;
Vincam indefeſſis quemlibet officiis.
Nullum ego de vobis, vos me mandate ſepulchro;
Atque infinitas vivite Olympiadas.

IN CHILONEM.

CHilo meas ridet lacrymas, quas fluminis inſtar
Aßiduus volvit mœſta per ora dolor.
Inſperata ſui luget dum fata Faini,
Raucus ſuppreſſa eſt voce Iacobus, ait.
Aſpera ſi ſcabro meditetur carmina metro,
Id vitium vocis non erit ingenii.
Iſte tui, Chilo, ſarcaſmus pectoris index,
Si neſcis, mentis te arguit eſſe malę,
Sum miſer, hoc certum eſt: imo tibi plura fateri
Nil vetat: invitus lucem hominesque fero.
Atque utinam, quando noſtris meus hoſpes in ulnis
Caram animam efflavit nuper & occubuit,
Me comitem ſecum moriens traxiſſet, & idem
Hauſiſſet flammis pectora bina rogus.
Vtque illo fruerer, ſic me gauderet amante:
Defunctis eſſet nec tua ſanna gravis.
Parce laborantem opprimere, & calcare jacentem:
Deque meis ungues ſubtrahe vulneribus.
Firma valebit enim ſano ulcere ducta cicatrix:
Reddeturque ſuo tempore cura minor.
Spicula tunc mihi erunt morſus ultura caninos:
Et tumeat nigro quod mihi felle jecur.
Vtilius, moneo, poteris compeſcere poſthęc
Labe verecundi putida labra ſeri.

IN TVMVLOS ADRIANI CHENERI, LOIDIS Boiſſardæ mariti.

Non

NOn fuit in fatis caro ut frueretur amante,
Deſerto Lois tam citò mœſta toro.
Illud erat quod mens cędis pręſaga futuræ
Annuerat, lacrymis uſque madente ſinu.
Conſortem quoties mater quæſiſſet alumnę,
Creſceret ut dulci lęta nepote domus:
Ingemuit tædas virgo averſata jugales:
Infauſto annoſa eſt omine mota parens.
Victa tamen fratrum hortatu, monitiſque ſororum,
Te recipit roſeis, feſte Hymenęe, genis.
Candida cum decimum vix Cynthia promeret orbem,
Occidis infanda, ſponſe dolende, manu.
Reſciit id factum (quis talia celet amantem?)
Irruit effuſis exululata comis.
Corpus & amplectens moribundi exſangue mariti,
Conjuncto voluit funere poſſe tegi.
Et ſocio trepidum laniaſſet vulnere pectus:
Obſtitit incœpto crine ſoluta ſoror.
Vt tamen adſeſe rediit, mentemque recepit,
Extremo impoſuit corpus inane rogo:
Infelix conjux, ſciſſos lacerata capillos,
Pro thalamis tumulos nunc, Adriane, locat.
Dumque illa in luctu, clauſa recubabis in urna,
Expectans ſummi tempora judicii.

IN OBITVM LAVRENTII MAGNERI CANONICI Hippolytani.

TE mihi ſubreptum crudeli funere flebam;
Nec potui functo triſtior eſſe patre.

At venerande ſenex, cùm tempora noſtra notarem,
Queis amor & pietas ſánctaque jura cadunt:
Felix o nimiùm, Laurenti, morte vidéris:
Hos tibi quæ luctus non ſinat eſſe graves.
At quæcunque mihi terno de numine vitę
Durius infeſto pollice nevit opus:
Illa utinam ſtamen properata forſice rumpat:
Nec miſeram ſortem per mala tanta feram.
Hoc tuus in culta pridem poſcebat Eremo
Frater, & orantis tunc valuere preces.
Tu quoque idem aſsiduo Superos clamore rogabas:
Senſiſti votis numina flexa tuis.
Hippolyti parva recubas tumulatus in urbe:
Chryſopoli Henricum ſacra ſepulchra tegunt:
At mea ſeu claudent cognatę lumina dextrę,
Sive peregrino me teget urna ſolo,
Non ea cura mihi: Defunctis omnibus una eſt
Terra parens: quævis corpus habebit humus.
Dum modo vincla ſinat, veniatque ad ſidera liber
Spiritus & Superis annumerandus eat.
Illic te, fratremque tuum fulgentia cernam
Lumina, cœleſtis templa tenére poli.
Te quoque, ſancte Parens, patriis effuſus in ulnis
Aſpiciam: nato ſoſpite lætus eris.
Et cùm de annoſa quęres genitrice, fatebor:
Vivit: at invito ſuſtinet ore jubar.
Te ſequeretur amans (ſinerent modò fata) libenter:
Orba viro viduos ſervat at uſque toros.
Felices animæ, quibus eſt iam vita peracta:
O quando ſimili conditione fruar!

Quando

Quando iſtos artus & membra caduca relinquam?
Deque procelloſo naufragus orbe ferar?
Et capiam emenſo promiſſos æquore portus?
Quàm longa eſt fragili lintre terenda via!
Da, Pater, æthereo miſeris conſidere regno:
Da requiem feßis: planta ſoluta labat.
Aut dum nimbus abit, dũque heic degrãdinat, adſis:
Et capita oppoſita protege noſtra manu.
Nec patiare, ſuis dum Gallia corruit armis,
Civili tinctas ſanguine habere manus.
Inque Dubim Deſſubris eat ſine crimine fluctus:
Et Lycus, & lento gurgite fuſus Arar.
Quotque ſecãt noſtros Burgundica flumina campos,
Innocuo ripis abſque cruore fluant.
Nec, quę ſollicitos Belgas invaſit, Erinnyn
Accipiat ritu patria preſſa malo.
Aut ſi immòta manet tibi mens, veniamque recuſes
Immeritis, longas ne trahat ira moras:
Tu me inter primos mortalibus eripe fatis:
Ne videam gentis triſtia damna meę.
Hoc ſolamen erit, quòd deinceps funeris expers,
Non metuam vitæ deterioris onus.
Et ſimul exceptos æterna ſede ſodales
Inviſam, & juncto lucis honore fruar.

AD NICOLAVM VILLERVM I. C. VALVILLARTIUM.

DIgna tuis meritis tibi ſi, Villére, Deûm rex
Redderet, o quantis obruerére bonis!

Nonne tuo hanc vitam, ſi vita eſt, munere duco?
Quam tamen optarem funere poſſe tegi.
O quoties ſubit illa tuæ facundia linguæ!
Eloquii & comi qui fluit ore lepos!
Cùm tibi narrarem rerum momenta mearum:
Vt fuerit luſtris ſors inimica tribus.
Es meritus meliora, inquis, Boiſſarde: ſed iſthęc
Tempora, ſi neſcis, non meliora ferunt.
Ecquid in obtutu ſemper verſare malorum?
Nec finem luctus quęris amice tui?
Vt tuus eſt candor, tu ponere dignus es annos,
Ne qua perſtringat te mala fama nota.
Vive domi, utque potes deinceps conare moleſtas
Aoniis curas attenuare modis.
Ecce peregrinum cur mavis ducere cœlum?
Quàm patriis placidê conſenuiſſe focis.
Atria nobilium vano turgentia faſtu
Linque: atque indigno ſubtrahe colla jugo.
Siccine te patinę capiunt, nidorque culinæ?
Vt ſervus dominæ tu videare gulæ.
Vt video, ignoras urbanæ gaudia vitæ:
Sintque in plebeia commoda quanta caſa.
Cepa magis grata eſt cum libertate saporis,
Regia quàm ſerva fercula ſumpta manu.
Munia ſollicito quiſquis colit aulica cultu,
Ignavò ſterilem vomere ſulcat humum.
Hęc dixti nobis, & talia multa, meuſque
Diminui eſt viſus per tua verba dolor.
Dulce laboranti ſolamen amicus amico
Pręſtat, & auxilium, ſi modò fidus erit.

Quæ

Quę ſine amicitia trahitur, cęca illa putanda eſt
Vita, ut vaneſcit qui ſine ſole dies.
Quòd ſi vera loquor (quis dicere vera negabit?)
Extincto vitam lumine cacus ago.
Sum miſer, & miſeri nemo miſeretur: onuſque
Nemo aliqua eſt noſtrum qui ratione levet.
Dum matura Ceres gravidis religata maniplis
Horrea congeſta ruſtica mole replet:
Dumque calor toſtis regnat furibundus in agris,
Corporaque aßidua vexat anhela ſiti,
Sperabam Vogeſi ſilvis vicinus opacis
Tranſigere hos grata conditione dies.
Fallere colloquiis animum fratriſque tuiſque:
Queis cedunt lectis Attica mella favis.
At me infelicem Lacheſis quid acerbior urget?
Atraque cur Stygia net mihi fila colu?
Terra Cleonæo terretur aduſta Leone:
Candentique ardens Sirius axe micat:
Extorris, ſoluſque & inops, gemebundus, & æger
Aſpera languenti pectore fata gero.
Invaluit noſtri morbi exitiale venenum:
Et curę in ſola ſpes mihi morte venit.
Impetus ad patrios mihi venerat ire penates:
Sed patria afflicto non mihi fida ſatis.
Mœſtitia pereo, miſero qua membra maligna
Paulatim mihi ſunt attenuata lue.
Vt ſolet abſumpta radians langueſcere cera, &
Decreſcens ſenſim perdere tæda jubar:
Sic ego, dum totas bis ſex nocteſque dieſque
Inſomnes vigili lumine triſtis ago:

Nec potu robur reſtauro cibove, ſodalis
Nec qui conſilio me juvet ullus adeſt,
Extinguor: mœſtoque cadunt e pectore vires:
Atque anima tanquam corpus inane feror.
Vix roſeo aſſurgit thalamo Tithonia conjux,
Phœbææ metuo lumina clara facis.
Odi congreſſus hominum: nam fidere cuivis,
Nec mea non noto credere ſenſa volo.
Sive Dionæo jubar efferat Heſperus orbe:
Adproperat votis nox inimica meis.
Crebra mihi tenues rumpunt ſuſpiria ſomnos:
Membra vel inviſo torqueo laſſa toro.
Eſſeda contemplor patulis Tegeæa feneſtris,
Et tardum parvis Arctophylacta focis:
Aſtraque diverſis paſsim fulgentia flammis,
Corpora convexo ſuſpicienda polo.
Felices animę, exclamo, queis munere Divûm
Illic conceſſum eſt obtinuiſſe locum!
Ah, cur tam longę ſuperant mihi tempora vitæ?
Tempora quæ nunquam contigit ulla quies.
Atque utinam quando Patavinę tempore peſtis
Millia ſunt una tot tumulata die:
Dum me complexus præſenti morte Fainus,
In noſtro caram reddidit ore animam:
Funeribus, ſociis communia buſta ſubiſſem.
Dicerer Euganea quàm benè tectus humo!
Non mihi limoſis coleretur Apanſia ripis:
Et tantùm rudibus villa habitata viris.
Me licet hoſpitio tractet Roverus amico,
Roverus Medicæ dignus honore togæ.

Ille

Ille ſoporiferis mulcet mihi timpora ſuccis,
Qui ſomnos oculis molliter eliciant:
Officiis tectum lenit ſub mente dolorem, &
Tædia fraterna ſedulitate levat.
Di, quibus eſt hominum cura benefacta tueri,
Cuilibet & meritis reddere digna ſuis.
Fortunent foveantque virum, tueantur amentque,
Cui benè ſuſcepta eſt noſtra tuenda ſalus.
Et tibi me reddant, vel me tibi: ſic mea poſthac
Conſiliis fiet ſors magis æqua tuis.

PHILO VINITOR: ET IANUS VPILIO.

VEſper erat, cùm ſol radiis declivibus umbras
Duplicat, & ſalſam Dorida pronus adit.
Rura ſuburbani linquens tum feſſus agelli,
Fundebat lacrymis talia verba Philo.
Dure ligo, raſtrumque tenax, falceſque recurvæ,
Et ſi quę ingratus ſarcula ſenſit ager:
Nonne ego palmitibus renovata pedamina fixi?
Vitis & a noſtra eſt ablaqueata manu?
Et ſi qua multa cariem traxiſſe ſenecta
Viſa eſt, malleolis eſt reparata novis.
Nonne fimum ingeſsi ſulcis? rigidumque novale
Runcarunt toto paſtina trita die?
Redditaque aprico per nos eſt vinea ſoli,
Dum gravis umbroſis frundibus ulmus erat.
Infectum infelix, intentatumque reliqui
Nil, quo commiſſus fertilis eſſet ager.

Succeſſere tamen votis contraria noſtris
Omnia: neſcio quo eſt ſpes mihi fracta malo.
Quid coluiſſe juvat generoſo e palmite vitem?
Si tantùm omphacium botrus acerbus habet.
Si mihi nunc vacuo luget vindemia prælo:
Et mihi ſi nullo muſta liquore fluunt.
Audiit Vpilio Ianus mala damna querentem:
Indignæ cuſtos tunc quoque Ianus ovis.
Tu commune jugum mecum trahis, inquit: eoſdem
Ad ſcopulos nobis fluctuat acta ratis.
Infelix poſitis lugendo vinitor armis,
Incumbens baculo tempus inane teris.
Heic tibi nil fructûs, ſpe ne fruſtrére, relictum eſt:
Ex alio poſthac commoda quære loco.
Longa quidem poterat fundum cultura feracem
Reddere, ſi fructum littoris alga ferat.
Electus fuerat palmes tibi nobilis, at quem
Degenerem fecit terra noverca loci.
Advena viniferos vitiat labruſca racemos:
Et peregrina tuos inficit uva cados.
Sudatum fruſtra ſatis eſt: perit irritus omnis
Qui labor in ſterili cogit aratra ſolo.
Horam unam ante ipſam præſtat reſipiſcere noctem,
Quàm damno integrum continuare diem.
Si fido ingrata eſt cultori vinea, quære
Majoris qui ſit fertilitatis agrum.
Et mihi non æqui fulſerunt ſidera cœli,
Cum primùm his hauſi lumina luminibus.
Vita ſed a primis gravior mihi tradita cunis,
Ad canos ſemper fluxit acerba pilos.

Cultus

Cultus erat mihi grex jam per duo luſtra: nec unquã
Me vidit vacuum feſta labore dies.
Non me grandinibus, non imbribus Eurus obortis,
Non me nimboſis terruit Auſter aquis:
Non laſſum vidit ſudanti Sirius æſtu,
Sicca Cleonęo dum ſitis igne furit:
Non qui frigus alunt borealia flamina venti,
Non quæ Parrhaſio nix venit orta polo:
Sedula quin vigili ſtimulata induſtria cura,
Proventum culti redderet officii.
Paſcua civilis quando infeſtabat Enyo,
Vaſtabatque ardens Gallica rura furor:
Cùm mea turbarent infeſti ſepta leones,
Et premeret miſerum creber ovile lupus:
Tum trepidę ſtabulis non auſæ exire bidentes,
Vrgentem, dixtis, fer bone paſtor opem.
Quot mihi ſunt vigili traductę lumine noctes?
Fecit & inviſos ſollicitudo dies?
Teſtor vos Vogeſi nemora alta, atque invia luſtra:
Terror & ad Sarram, Parrhiſiiſque metus.
Et meminiſtis adhuc, o conſcia ſidera: namque
Ter ducibus vobis eſt repetita fuga.
Senſerunt noſtros, Rhenuſque Nicerque dolores:
Quos lacrymis vidi condoluiſſe meis.
Ad quorum ripas quarta eſt mihi cognita meſſis:
Gramina dum felix me duce carpit ovis.
Vidiſti profugum Rhodani celer unda: meuſque
Eſt tibi perſpectus, dure Lemanne, labor.
Quid dicam, Euganeis fureret dum peſtis in arvis?
Dum bis mille ſimul ſuſtulit una dies.

Et dedit antiqua lacrymas Antennor ab urna,
Medoacuſque ſuas fletibus auxit aquas.
Exhauſtam ut Phrygiis viderunt civibus urbem,
Quam conſtructam alio tunc voluere loco.
Tunc quos non gemitus? quæ non ſuſpiria fudi?
Quę non eſt votis ara onerata meis?
Ne funeſta lues pavidum aggrederetur ovile,
Et mihi commiſſæ præriperentur oves.
Vt vos ſubtraherem crudelibus ipſe periclis,
Pro vobis viſum eſt tunc mihi dulce mori.
Patria me Venetis quamvis revocaret ab oris,
Vrbani munus grande datura pedi,
Offerretque amplos magnus mihi Cæſar honores,
Vos potui patrię prępoſuiſſe meæ.
Nec Nymphæ me torſit amor, quæ propter amœnum
Danubium docta gauſapa pingit acu.
Vrget & ad thalamos reditum, aßiduiſque querelis,
Et triſti longas increpat ore moras.
Teſtis, qui ſortem nactus, Boiſſarde, ſecundam es:
Namque, ut me, ſtudium te quoque torſit idem.
O quoties noſtros minuiſti voce labores!
Et dixti, tanto quid cruciare metu?
Vota preceſque tuæ divos tetigere faventes,
Quorum dextra tuam protegit uſque domum.
Ad patriam, dum fata ſinent, properabitis: & te
Excipiet ſenii tempore amica quies.
Prędixti mihi vera quidem: nam munere Divûm
Redditus eſt patriis ſalvus uterque focis.
Sed cur non votis reſpondent cætera? rebus
In reliquis vates an mihi vanus eris?

Cæpe-

Cœperunt albo caneſcere timpora crine:
Et caperat rigidam pendula ruga cutem:
Langueſcit gelidus circum præcordia ſanguis,
Ætatiſque mihi jam minitatur hyems.
Eia age, dicebam: longus labor otia poſcit:
Emeritamque petit tarda ſenecta rudem:
Mulctra paranda mihi, & lento de vimine corbis,
Durato liquidum quę exprimat orbe ſerum.
Vaſaque formando quæ ſunt aptata butyro,
Et quę ſervando commoda lacte patent.
Lana dabit ſagulum, caligas & bardocucullum.
Lenior his poſthac bruma futura mihi eſt.
O cœlum! longê hęc mentem ſententia fallit:
Hem! nondum capti pellem ego vendo lupi,
De grege non vellus, lactiſve coagula preſsi,
Fructus ab ingrata nec mihi venit ove.
Eſſe ego nunc primùm prognatū ab Amazone cruda
Agnoſco nullum q̄uod pecus uber habet.
At foret exiguum fruſtra ſudaſſe tot annos:
Damna ſed ex longa ſedulitate fero.
Cornibus inſultant arieſque, agnique petulci:
Atque ſuo gravior torva capella mare.
Diſcite paſtores (nam vos manet exitus idem)
A miſero triſtes upilione vices.
Ingratis nimiùm poſthac ne fidite caulis:
Quærite ab exemplo commoda veſtra meo.
Nunc viget audaci robur juvenile lacerto:
Et cingunt nitidas florea ſerta comas.
Hic cantat Satyros, alter meditatur Alexin,
Et quibus ornatur pęta Phlogilla genas.

Dulcia ſecura traducitis otia vita,
Dum vacuum curis tempus ineſcat amor.
Vos, inquam moneo, reſtat dum integra facultas,
Dum vires animis, pectoribúſque vigent:
Quærite quæ veniens paulo poſt exiget ætas,
Et quorum illabens indigus uſus erit.
Succedunt flavis cani citò namque capillis,
Præcipitique ruit curva ſenecta gradu.
Et quicunque nihil cumulat florente juventa,
Aetatis meritò finibus eſuriet.
Quique per æſtatem nil vexit in horrea meßis,
Illum bruma inopem jure inopina premet.
Serò ſapit quiſquis ſublata ſcrinia gaza
Servat, & erepto claudit ovile grege.

IN ANAGRAMMATA N. REUSNERI LEORINI I.V. Doctoris.

PHæbada miramur ſolventem oracula Delphis,
Verba Deûm ſacro pandere de tripode.
Miramur Laio genitum, qui Sphinga ſuperbam
Præcipitem arguto reddidit ingenio.
Atque ſenem Pylium, gemino Prudentia ſęclo
Cui non adverſa eſt Pallade facta comes.
Sed valeant Delphi, atque aditis cortina reluſis,
Proponat Clarii myſtica ſenſa Dei.
OEdipodemque ſuę tollant ad ſidera Thebæ,
Et ſit prudenti Neſtore clara Pylos.
Antiquis fama hæc vulget miracula libris,
Quæ priſcis ad nos permeet hiſtoriis.

Nunc

Nunc ſe noſtra ætas tranſactis conferat annis:
Vnde hęc laudari ſit potis inveniet.
Mille in promptu aderunt Muſis & Apolline digni;
Quoſque æquet divis æmula poſteritas.
Inter quos, Reuſnere, locum niſi jure priorem
Vſurpes, nulli tu hercle ſecundus eris.
Seu legum ambages juvet explanare, Solonem
Sancta ſuum credet rurſus adeſſe Themis.
Sive chelyn docta tractes ſeu barbiton arte,
Orphea de dicet Calliopea ſuum.
Seu tu per varios formes anagrammata ſenſus,
Ardebit tibi mens enthea pectoribus.
Denique quicquid agas, tu cuncta favẽte Minerva
Perficis, & genio gratia juncta tuo eſt.
Euge igitur, Reuſnere, tuos ſecutura labores
Fama tibi cinget frunde virente caput.
Eſt aliquid multis generis ſplendore pręire.
Doctrina at majus nomen habere ſua.

IN EIVSDEM ICONAS.

Splendidius nihil eſt fama Virtute parata,
Aut bello, aut culti dotibus ingenii.
Cui qui contulerit fortunę dona faventis,
Et quas illa ſolet tradere divitias:
Vilia componet caris, firmiſque caduca:
Et ſolidi umbra illi corporis inſtar erit.
Nec bona ſunt recitãda, quibus ſors imperat: aut quę
Sunt dubia: aut tantũm nomen inane gerunt.
Quęque ſuo intereunt cum poſſeſſore, nec illi
Ad verſo veniunt tempore in auxilium.

Sola ſuo virtus pro ſectatore laborat
Obſcura Lethes flumina ne ſubeat.
Marmorei ereptum gravida de mole ſepulchri
Inter honoratos collocat Indigetes.
Mortales tantùm exuvias tellure recondit:
Nomen at inſigni poſteritate beat:
Vt eius ſcriptorum calamis, qui pondera rebus
Reddere divino ſunt ſoliti eloquio.
Inter quos primas delegat hac tibi partes,
Reuſnere, & factum dia Minerva probat.
Addit ſe ſocium Phœbus, facileſque Camœnę:
Peithoque, & terno numine firma Charis.
His ducibus nullos poſthac moriture per annos
Æternum ſcriptis aggredieris opus:
Aoniæ immortale decus Reuſnere cohortis,
Hæc debebantur munia nempe tibi.
Vt noſtri caneres illuſtria nomina ſęcli,
Spiranti vulgans vivida ſigna typo.
Elogiis quæ cuncta ornas, & honore decoro:
Sic facis ut tota hęc non Libitina ferat.
Defunctis vitam reddis, vitaque fruentes
Egregia prohibes ſedulitate mori.
Sic tibi conſultum eſt, aliis dum proſpicis, eſtque
Communis quæ te gloria nobilitet.
Dum famam ſollers alienam condis, eadem
Tuque tuum tollis nomen ad aſtra tuba.
Te ſimul & præſens, & poſtera noverit ætas:
Et tibi erit pulchra laude perennis honos.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI Hendicaſyllaborum.

LIBER PRIMVS.

AD LECTOREM.

SI non diſplicuere, Lector, illa
Quæ primis tibi lecta ſunt libellis,
Gratulor mihi. Amabo, quæ ſequuntur
Eadem patientia revolve: &
Boni conſule quæ rudis Thaleia
Mandavit calamo minùs polito.
Laudem non nimiam peto: ſat eſſe
Ratus, paucula ſi probes: meoſque
Si non prorſus inutiles putabis
Conatus. Lege ludicra otioſus:
Teque his exhilara, & fave: meorum
Sic fructum egregium feram laborum.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI Hendecaſyllaborum.

LIBER PRIMVS.

Ad suum librum.

NOSTRIS ſtulte liber referte nugis,
Cur doctos Domini ſubire ocellos
Contendis? graviore qui implicatus
Tenetur ſtudio: nec his legendis
Serias ſinet occupationes
Turbari. Daberis coquis, cucullus
Vt fias piperiſve cappariſve:
Vel ſcombros lacerâ teges papyro.
Dum licet, moneo, domi maneto:
Nec te trade viæ periculoſę.
Stat ſententia? te juvat videri?
Et dextra populi ſubinde ferri?
Tuis fratribus ut comes legaris
Inſulſis fatuis, ineruditis.

Sed quo vindice publicam ad coronam
Audax pervenies? fereſque naſum
Tot cenſorum? adeóne es obſtinatus?
Perfrictęque adeo libelle frontis?
Exactam ut trutineris ad bilancem
Securus: miſer, hinc & inde amuſſes
Cum tuo quoties feres pudore!
Principis video in ſinum volabis,
Quo præſtantior eſt fuitve, eritve
Nemo, nec melior benigniorve.
Hunc ut Phœbus amat, novemque Muſæ,
Phœbum ſic amat & novem Camœnas.
Tu patrocinio illius ſuperbus,
Livoris rabiem, malaſque linguas
Temnes. O ſapienter inſtitutum!
In tuto omnia ſunt: liber ſapis, qui
Principem tibi feceris patronum.

AD ILLVSTRISSIMVM POTENTISSIMUMQUE Principem.

IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, Comitem in Veldens & Sponheim.

***

ILLVSTRISSIME Principum hujus ævi,
Cui largê Deus omnia erogavit
Quæ vitam facere hanc queũt beatam:
Vnquam ſi ille hominum erogavit ulli.
Felix conjugium, tori pudici
Dulces pignora ſuaviora natos,
Robur, nobilitatem, opes, honores,
Ceras, ſtemmata, imagineſque avorum.
Et (quam Principibus dedére rarô
Priſca tempora, maximêque noſtra
Ætas rariùs) eruditionem.

Magnum eſt his titulis ſatum eſſe: ſed tu
Illis quærere nomen eſtimaſti
Non tutum eſſe ſatis: niſi) ut paterni
Sceptri & certus opum es relictus hæres)
Virtutem ſequerere: quâ tuorum
Majorum aucta potentia eſt decuſque.
Qua tuus genitor domi foriſque
Effulſit venerandus: illiusque
Fama ad ſidera vecta, dum ſuperſtes,
Et Djs æmulus extitit, ſimulque hunc
Immanes furias, gravemque Erinnyn
Gallorum rigida manu domantem
Terris abſtulit intulitque cœlo.
Hunc non degeneri gradu ſecutus,
Colis juſtitiam bonus, Deoque
Divinos ſine fraude reddi honores
Pius præcipis æquitatis auctor.
Quin ut barbariem procul repellas
Tuis finibus, arceaſque longê,
(Quam ignorantia cæca parturit) te
Doctis aſſocias, tuamque fulcis
Horum conſiliis domum, doceſque
Orbam luminibus vagamque vitam,
Muſarum inſcia quæ venit: fit inde,
Vt non ſat liqueat ſuum parentem
An natus ſuperet, parenſve natum.
Tuque hoſpes pietatis, atque clemens
Fautor Pierii chori vocaris,
Illuſtriſsime Principum hujus ævi.

AD ILLVSTRISSIMAM SESERENISSIMAMQUE PRINCIPEM Magdalenam Gueldriæ,Iuliæ,&c. Ducem.

Illuſtriſſimi Principis IOANNIS Com. Palat. Rheni, Ducis Bavariæ & Biponti vxorem.

SI Electiſsima Principum Dearum,
Sive Opis Superûm parens, vel ipſa
Magni uxor Iovis, aut virago Pallas,
Sive tu es patiens Themis vocari:
Hercle tu Dea, Djſque nata magnis.
Heros ille tuus parens, coruſcum
Gentis Iuliacæ jubar, phalanges
Fortium moderans Menapiorum,
Tantùm nobilitate, honoribusque,
Tantùm divitiis, potentiaque
Principes reliquos (quibus reguntur
Belgarum populi) præit, cupreſsi
Quantùm altæ ſuperant breves miricas.
Quid mater tua? nonne clara Divis
Stirps à Cęſaribus ſata eſt? Vocatur
Ferdinandus avus tibi, Imperator
Auguſti diadematis coronam
Tuus liquit Avunculus Rudolpho.
Sed quid hæc recito? Toro jugali
Te junxit ſibi magnus ille Ianus
Bojorum geniale ſidus: altos
Qui magni titulos Parentis æquat.

Imo in hoc ſuperat, quòd a Camœnis
Enutritus, Apollinis favore
Doctis ingenium artibus polivit:
Vtramvis pariter colens Minervam.
His tu dotibus & peculiares
Addis & proprias, benignitatem,
Tutelam pietatis, atque mentis
Prudens conſilium, elegantiamque
Formæ, quam cuperet ſuam Dione.
O Deûm ſoboles! Dea ipſa! Divis
Quam junxit thalamis Hymen, marito
Vt Divos generes. Beatus ille
Qui tuas poterit ſonare laudes
Digno carmine. Tu mihi, Minerva,
Et vos Pierides, favenſque Apollo,
Hoc concedite munus. Hanc canamus,
Inflem ſeu graciles ſedens avenas:
Seu clangore tubæ efferar ſuperbus.
Si tu virque tuus, Marone digna
Heroina, meos probetis auſus,
Veſtris nominibus ſacro Poëtæ
O quantam dabitis beatitatem!

AD ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM OTHONEM HENRICUM, Ducem Brunſvigæ & Luneburgi.

PRinceps inclyte, liberalitatis
Munus egregium tuę recepi:
Munus conveniens meo patrono,

Munus

Munus conveniens tuo clienti.
Namque ut munera Principum aurea eſſe
Debent, ſic quoque congruum poëtis.
Aurum eſt, aurea ſæcla qui reducunt.
Sed quis Principe lautiora donet?
Cui Pluti gravior domi ſit arca.
Aut cui fundere dona, quàm poëtæ,
Poſſet utiliùs? datum rependit
Qui cum fœnore: non rudi metallo,
Textis veſtibus, unionibusve:
(Quæ pridem domui tuæ ſuperſunt.)
Sed dat carmina poſteris legenda,
Duratura futurum ad uſque tempus.
Ergo Sardonychas, nec in Sabæi,
Natum littoribus maris pyropum
Expectato. dabit levis papyrus,
Quod lętus videas probeſque donum:
Verſus nempe: canent genus celebre,
Quod Selenopolin regit potenti,
Brunſvigamque manu: nec inter altos
Poſtremus numeraberis parentes.
Tu gentis columen tuæ decuſque
Dicéris mihi: teque anus loquetur
Charta: te ſciet extitiſſe quivis
Comem munificum, optimèque de illo
Boiſſardo meritum, ſuam dicavit
Qui vitam & ſtudium tibi patrono.
Nonne hęc dona magè æſtimanda nummis?

AD FABIANVM BVRGRAvium & Baronem a Dhona Boruſſum.

NOnne in te fuerant repoſta blandi
Veris tempora, lenis & Favoni
Auræ? quæ placido ſolum tepore
Mulcebant, beneolentibusque terram
Pingebant violis, thymoque ſuaves
Pergratoſque apibus dabant odores.
Nonne te hinc abeunte Phœbus ipſe
Contraxit radios, ſuaſque furva
Texit nube comas, malis rigentem
Exponens aquilonibus Lemannum?
Ergo lætitia ille deſtitutus
Slavata eſt tuus, & tui ſodales
Mœrent aſſiduis domi querelis.
Sic, Dhonæ, rogo, fuit neceſſe
Hinc te ſolvere? ut omnibus relictis
In luctu, ora Boruſſidis puellæ
Baſiis premeres, toroque dulcem
Accires Hymenæon? euge fauſtis
Heros auſpiciis, lares paternos
Expectatus adi, & citus reviſe
Commota æquora Balthicis procellis.
Felices reditus tibi precabor,
Et Nymphæ meritum tuæ favorem:
Et dignos ſtudiis tuis honores:
Amoremque mei ſimul perennem.

AD MARCVM CLAVDIVM A RYA BARONEM DICAEI & Boclani.

SAlve nobilium decus virorum,

Hujus

Hujus gloria ſeculi, tuique
Lecte flos generis, nec invidente
Quoquam. Magnanimus parens (relatus
Iampridem ad Superos) queri & dolere
Iam ſenex poterat, nec abſque cauſſa:
Quòd patrocinio ſuo indigentem
Linqueret patriam, niſi æmulum te
Heredemque habuiſſet eminentis
Virtutis. Patrimonium expetendum,
Amplum, magnificum, tuiſque quadrans
Moribuſque animiſque: quodque vincat
Lydi fluminis aureas arenas,
Et Crœſi rutilæ talenta gazę.
At tantis opibus boniſque mentis,
Quibus proximus es Deis relatus,
Vnam addis propriam & peculiarem,
Hiſce temporibus nec uſitatam
Gratitudinem: Et hanc benignitate
Exornas, animique lenitate:
Quodq́, adhuc puero biennio uno
Præceptor fuerim tibi, ut patrem me
Abſentem redamas bonus, coliſque,
Præſiti officii memor, jubeſque
Non ſolùm dominum, ſed & futurum
Patronum mihi te æſtimem atque amicum.
Gratias agere audeo: at referre
Dj velint merito. Clientem habebis
Me, dum vixero, gratum & obſequentem.
Nec me quiſquam alio notabit unquam
Quàm Rya domino beatiorem,

AD MICHAELEM SLAVATAM Bohemum, Baronem in Chlum & Coſſumburg, quartana laborantem.

FEbris noxia, quæ dolore anhelo
Slavatam crucias meum, dieq́;
Quarto ſemper ades, fuge: & repente
Hinc te proripe: ſic jubet. Fuge, inquam,
Febris peſſima, te nec huic moleſtam
Præbe, non merito tuos rigores.
Veni, Phœbe ſalutifer, graveſque
Æſtus, perque vices gelu recurrens
Mitiga: aridulis para labellis
Dulces qui reprimant ſitim liquores.
Redde pallidulis genis ruborem
Illum, quem roſa vere nata primo,
Vel quem Sidoniæ cruore conchæ
Tinctum præbet ebur: vel hunc amicis
Talem reſtituas, puella qualem
Mirata eſt Patavi, virente ſerto
Impetens juvenem, frequente ſcenâ.
Sed munus foret hoc tuum, Cupido.

AD FRANC. A VIENNA, Claudii Antonii Baronis Clerevantii, Copetii, &c. filium: De gladio ſibi dono miſſo.

ANni principio & novis calendis,
(Queis ſolet xenium ſuis amicis

Quisli-

Quislibet dare & optimè precari)
Tranſmittis gladium mihi caduco
Imbellique ſeni, atque ad arma pridem
Deſueto. Tamen hoc, Vienna, dono
Præceptorem oneras, jubeſque miſſum
Tuo nomine munus ut capeſſam.
Tempori benè congruum eſt, meæ ſed
Ætati minùs id poteſt quadrare.

Iamdudum emeritũ, & gravè ſenecta
Donari rude me annuit Minerva:
Signis imperioque me cruenti
Gradivi eripui, feros tubarum
Clangores, acieſque, plumbeaſque
Mixto ſulfure grandines peroſus,
Nomen Pieriæ ut darem cohorti:
Et lauro mihi jam favens Apollo
Cœpit timpora cingere, & vocare
Sacratos Heliconis ad receſſus,
Illic otia litterata noſtros
Mulcebunt animos quietiori
In vitæ melioris inſtituto.

Sed tu magnanimum patrem ſecutus,
Ætas fervida dum calenſque ſanguis
Robur ſuppeditant, tuorum avorum
Virtutes imitare, gloriamque.
Fortiterque viriliterque tela
Sume pro patria: unde laus, honorque,
Et nomen veniet tibi perenne.

Dum te prælia Martis occupābunt,
Victricique manu hoſtium catervas

Sternendo ſubiges, ovanſque opimis
Onuſtus ſpoliis domum redibis
Geſtorum ſeriem, & tuos labores,
Bellicaſque canam expeditiones:
Quæque & quanta ſubiveris pericla,
Arguto referam notata plectro.
Tuam ad ſidera ſumma uterque famam
Armis tu, calamis ego feremus.

AD GEDEONEM A VIENNA, CLAUDII ANTO. Filium.

ANtiquæ radians ocelle gentis
Priſcis edite regibus Vienna:
Ergo noſtra tibi futura curæ
Res eſt: ergo tibi tuus Iacobus
Nunc amabitur, & tui favoris
Sub umbra otia carpet & quietem
Præceptor tuus ille, cariorem
Qui te quondam habuit ſuis ocellis.
Qui te præpoſuit ſuæ ſaluti:
Qui te plus patria, parentibuſque,
Plus ſororibus, unicoque fratre
Dilexit: Recolis memor bonuſque
Iſthæc omnia, gratitudiniſque
Reddis officium. Pij parentis
Clara progenies, quibus vebam te
Cœlo laudibus? optimê merenti
Quonam carmine gratias rependam?
Nunquam Pierii virens cacumen

Parnaſſi tetigi: nec ad canoros
Conſcendiſſe Heliconidum receſſus
Permiſſum eſt. Humilis mihi Camœnæ:
Muſa ruſtica barbiti jocoſas
Tantùm ſollicitat fides, agreſti
Gaudens harmonia ſonare Faunos:
Aut Palis placidum vocare numen:
Aut ſi quę tetrico minùs vagentur
Pręcepto riguis agris Napęas.
Sed ſi me tamen altiore metro
Poſthac inſtituat, pedemque grandi
Subnixum Dea fulciat cothurno:
Inſurgam Aonio excitatus œſtro,
Et pugnanda tibi tuba ſonante,
Et pugnata tuo ſimul parenti
Canam prælia, & hoſtibus fugatis
Signa erepta, minaſque fabricarum,
Propugnacula, turriumque moles.
Æquatoſque ſolo arcium pavores.
Pręibit pater eminente fultus
Gloria: caput huic virens obibit
Laurus, & Tyrio decorus oſtro
Cum Græcis Latiiſque (quos vetuſta
Summis tempora laudibus coronant)
Certabit meritis. Patri propinquus
Et Virtute animoque par ſequeris.
Veſtra encomia publico relatu
Diſcet poſteritas: erit beatus
Sic natoque parens, parente natus.
At dum conveniens tuis volumen

Geſtis prodeat, his meam Phalæcis
Obligabo fidem: & fatebor uni
Devotam domino tibi eſſe vitam.

AD IACOBVM SOLIACVM ASSARACUM.

Splendor Soliacæ Iacobe gentis,
Annos qui ſuperas tuos ſagaci
Mentis conſilio, ſcientiiſque,
Queis jampridem animum imbuis, probaſque
Nil tam difficile arduumve, quod non
Poßit aßiduo labore vinci.
Legi & lecta iterum lubens relegi
Dulci carmina dulciora melle,
Suavi carmina dictitata Muſa,
Quę tu (dum ſequeris feras per alta
Catthorum nemora, & tuæ Dianę
Venator ſociam facis Thaliam)
Fudiſti lepidis canora plectris.
Te certê video bonę Camœnæ
Amant, & meritò favent alumno.
Vt cujus violas dedere cunis:
Et parvo latices equi volantis
Sugendos tribuere, Appoliniſque
Indulſere lyram: favore eodem
Annis atque animis vigentem & auctum
Proſequuntur habentque cariorem.
Hęc eſt nobilitas, Iacobe, vera:
Qua majoribus & tuo parente

Dignum

Dignum te arguis, optimamque de te
Spem præbes patriæ. Euge, & inſtitutæ
Ne te pœniteat viæ. Iuventam
Exerce ſtudiis, quibus beatam
Poſsis ducere pulchro honore vitam.
Ætas dum potis eſt tua erudiri,
Præceptiſque ſalubribus poliri,
In doctis Sapientiæ viretis
Flores ſedulus artium atque fructus
Excerpe, inque animi penu recunde.
Harum dives opum fugacis orbem
Fortunæ pedibus teres, & iras
Contemnes placidè illius, metuque
Securis poſito notabis hirquis.
Et te, ſive Lemovicum penates,
Sive olim teneant lares amœni
Dulces Aſſaraci, aut tua ſequare
Arma pro patria, tuoque Rege:
Aut te exerceat illa trux Enyo,
Gallis noxia quæ fuit tot annis:
Seu muſæa ſuo avocent receſſu:
Vbi Caſtalium haurias liquorem,
Et mel Pieridum favis receptum:
Seu ſacris operaberis litando,
Panchæoque Deos odore pláces:
Inter quaſlibet occupationes,
Domi militiæ exigaſve vitam,
Mille commoda ſenties laboris
Suſcepti priùs, uberemque meſſem
Leges ingenuæ eruditionis.

AD PAVLVM MELISSVM.

Nî te pectore amem, Meliſſe, toto,
Ni te geſtem animo intimaque mente,
Ni te plus oculis, meaque vita
Diligamque colamque, Di faventes
Nunquam ſint mihi, nec dies ſerenos
Detur cernere, gaudioque plenos.
Sic me (cùm celeri eſſedo Grimontem
Veniſſes) ſubito tuo beaſti
Adventu. Fateor, Meliſſe, verum:
Caligare mihi repente, viſo
Te, cœpere oculi, & per oſſa leni
Mixtus lætitia dolor cucurrit.
Hęſit lingua palato, & ad ſalutem
Dicendam minùs expedita viſa eſt.
Verborumque loco oſculo frequente,
Et complexibus, & madente ocello
Tunc me prompta neceſſitas coëgit
Amicum excipere. O quater quaterque
Candido illa dies notanda ſigno,
Quę me reſtituit mihi, integramque
Per quam tãdem animam meam recepi!
Tute teſtis es hunc mihi peractum
Iejuno eſſe diem, & ſopore pulſo
Nobis pervigilem fuiſſe noctem.
Et vix alloquiis benè abſolutis
Auroram micuiſſe, equiſque Phœbum
Citatis roſeam tuliſſe lucem.
Quàm brevis tamen hęc fuit voluptas!
Qua gradu inſtabili voluta fugit;

Dum

Dum vix tempore bidui heic moraris:
Fugit illa quidem brevis voluptas:
Et longum ex abitu tuo dolorem,
Et deſiderium tui reliquit.
Vt meſſor, quoties furens anhelo
Æſtu Sirius ardor urit agros,
Labellis inhiat ſiticuloſis:
Cui ſi guttulam aquę ſcipho propines,
Non illi ſatias erit bibendi,
Sed duplo renovabis appetitum,
Aridamque ſitim magis movebis.
Sic mihi accidit: ut tui videndi
Mira me tenuit prius cupido:
Adventu illa tuo aucta non minuta eſt.
Nanque te heic benè biduo intueri
Mens commota nequivit, atque dulci
Tuo colloquio ſatis fruiſci.
Magna ſed brevis hęc fuit voluptas:
Quæ longum ex abitu tuo dolorem,
Et deſiderium tui reliquit.

AD IOANNEM POSTHIVM ELECTORIS PALATINI Archiatrum.

SOllertiſſime Hyantidum ſororum
Comes: Cui Charis & diſerta Pitho
Lavére ambroſiis labella ſuccis:
Phœbi abſcondita ſenſa qui ſagacis
Habes pectoris intimo receſſu:
Qui fructus Sapientiæ reclusos

E penu locuplete mentis altæ
Promis in medium, doceſque ſummi
Tecta arcana poli, abditaſque rerum
Cauſſas: utilibus notans papyris
Quę natura parens bonuſque in uſus
Humani generis Deus creavit.
Quæ ſic arte tenes, ut & Machaon,
Crethaeoque ſatus, ſenexque Cous,
Et vivum Androgeona qui parenti
Fertur reſtituiſſe, Theſſaluſque
Pelidę juvenis catus magiſter
Palmam cedere non tibi recuſet.
Nec tantùm juvat in ſcientiarum
Abſtruſis ſpatiarier viretis:
Ecce te meliùs lyram increpando
Nemo ſuaviùs exprimit canoras
Parnaßi harmonias: meloſque nemo
Perfectum ad numeros, & expolitum
Carmen te meliùs canit, nec ipſę
Si certent Heliconiæ puellæ
Tecum, Caſtalidumque Apollo prę ſes.
Sic, Poſthi, audis ubique gratioſus,
Sinceruſque poëta & eruditus.
Non ſolùm ad patrii fluenta Mœni, aut
Quà Suevis Nicer exiens ab oris
Pulchri docta Lycea Myrtileti
Vndis alluit, & tumente Rhenum
Pulſat gurgite: fama te ad Moſellam,
Deſſubrimque meum Dubimque vexit.
Imo Gallia tota, & Italorum

Muſis dedita gens ſuum ante cunctos
Poſthium meritò colitque amatque.
Quid ergo impedit, aut vetat meum inter
Nomen millia ne meum reponam?
Boiſſardumque tibi peculiari
Iungam fœdere, dedicemque in ævum.
Quòd ſi me recipis, putesque dignum
Tua amicitia; diem hunc quotannis
Vt natalicium exigam celebrem:
Qui me participem benè auſpicatus
Tanta reddiderit beatitatis.

IN NVPTIAS IACOBI PASCHARII MEDICI.

ITe verſiculi mei minuti,
Ite verſiculi mei faceti,
Ite ſuaviter, ite cantitando,
Ite molliter, ite ſaltitando,
Nunc dextro pede, nunc levem ſiniſtro
Gradum flectite, nunc tenete greſſum.
Atque imo modicè a ſolo levati,
Libratum ad numeros rotate corpus.
Nunc ultro atque citro pedes movete,
Et volubilibus micate gyris.
Sublataque manu & ſequente voce
Doctis cymbala motitata palmis,
O Hymen Hymenæe cantitate,
O Hymen Hymenæe perſonate.
En Cupidineis petitus hamis,

En Cupidineis repente telis
Eſt Paſcharius ictus, aureamque
Sub præcordia cuſpidem recepit.
In te prompta quies, Hymen, relicta eſt:
In te certa ſalus, Hymen, repoſta eſt.
Sis Hymen Hymenææ ſublevator:
Sis Hymen Hymenęe liberator.
Paſchari Aonidum decus ſororum,
Magni deliciæ atque alumne Phœbi:
Cui ſunt ſigna vagi viæque ſolis,
Et ſecreta cavi retecta cœli:
Qui quæ pharmaca vel juvare poſſunt
Vel nocere tenes, ſcientiamque,
Qua Djs æmulus extitit Machaon,
(Sed non eſt patiens amor medelæ)
Vires graminis univerſi, & omne
Quod natura parens creaſſe viſa eſt,
Arte Pæonia docente calles.
Ergo depoſita ſeveritate,
Et vitę ratione durioris,
Cyprius puer ad jugum parentis
Perductum excipiet, ſuiſque flammis
Perſtringet tibi pectoris ſub imo
Demulcens Citherea ſaucium cor.
Et te dulcis Hymen, Chariſqueblandæ
Pudicę thalamo aſſeret puellæ,
Suſannę thalamo aſſeret venuſtæ.
Qua non pulchrior illa olore quondam
Nata Tyndaris, aut amore cujus
Ardentes Lapithæ toro mariti

Progna-

Prognatam Atracę ſuſtulere Nympham.
Qua non caſtior illa, quæ ſubinde
Funeſta ſatiata potione,
Exhauſit cineres viri ſepulti.
Qua non caſtior illa, quę cruento
Pudicum feriendo pectus enſe,
Vlta eſt magnanima manu tyrannum.
O culti Idalio lepóre crines!
O frontis decor integer ſerenæ!
O arcus cilii utriuſque! & oris
Rubens coralium, & roſæ genarum!
O eburnea colla, lilioque
Tincti & candidulo ſinus liguſtro?
Sed quę fulgura, quas vibrant ſagittas
Coruſcis radiis amati ocelli?
Ocelli íllius alitis puelli
Turgidi ignibus, & ſuæ Diones
Lucidi face, Gratiiſque pleni.
Ocelli cupis uſque ſuaviari
Quos quater decieſque centieſque:
Quos per millia baſiationum
Optas ſugere tot, polis quot aſtra
Lucent, quot reſecantur agro ariſtę,
In Hybla quot apes, quot in profundo
Latent oſtrea, tædiis amorem
Quot replevit amarior Cupído.
Euge verſiculi mei minuti:
Euge verſiculi mei faceti:
Feſtini properate ſaltitando, &
O Hymen Hymenęe cantitate,

O Hymen Hymenęe perſonate.
Paſchari tibi ſiderum æquitate
Invidenda Deis bona hac parantur.
Æternum illa dies canenda, quando
Genas virgineo rubore tincta,
Myrteamque comis gerens corollam,
Solvet thuricremas puella ad aras
Dona florea, cereaque tæda
Luſtrati ambo: viro beata virgo
Et vir virgine ſis beatus: ac tu
Benignorum ineas favore Divûm
Fauſtis auſpiciis torum maritus.
At vos interea gradu citato
Iucundique, hilaresque, comptulique
Ite verſiculi mei minuti,
Ite verſiculi mei faceti,
Ite molliter, ite ſaltitando,
Ite ſuaviter, ite cantitando:
Caſtę vincula necte Hymen puellę:
Caro vincula necte Hymen marito:
Dulci vincula junctiora concha:
Suavi vincula duplicata nexu:
Sancto vincula copulata amore.
Nullo diſſidio malave lingua,
Nullo diſſoluënda vincla fine.
Hęc Hymen Hymenęe fac rata eſſe:
Manſuetuſque bonuſque providuſque
Sis per ſæcula, Hymen, favens utrique.

AD DOMITIVM FAINVM VERONENSEM.

Inſcribi

INſcribi cupis hoc mea volumen
Syngrapha, tibi teſtimonium quæ
Poſthac exhibeat fidele amoris
Contracti. En cape ſyngrapham fidelis
Teſtimonium amoris omne in ævum
Duraturi: & in hoc nota libello
Devotum tibi pectus, atque vitam,
Et quicquid mihi Dj boni dederunt,
Cordis dimidium mei, Faine.
Nec te pœniteat fideli amore
Boiſſardum redamaſſe, qui te amavit
Prior. Cur ego non amem virum, qui
Me tam comiter, hoſpitaliterque
Excepit laribus ſuis, opeſque
Liberaliter obtulit paternas?
Arte triſtitiam levavit: & mî
Curas alloquiis ſuis ademit.
Vrbs Antennoris, optimê precabor
Tibi dum fuero ſuperſtes, & te
Tantis laudibus evehar, ut nec ipſam
Sera poſteritas Veſuntionem
Præferri tibi ſentiat, Dubiſque
Ripis Hippolytum adjacens: ſcietque
Quantis dotibus auxeris Iacobum,
Quem tanto facias beatum amico.

AD EVNDEM.

HOſpes, quo meliorem habet, nec unquam
Verona eſt habitura: nec videre
Cui parem mihi contigit (niſi ipſum
Dicas Hammelium hoſpitalitate

Cum quovis animoque conferendum)
Quo precor tibi ſiderum favore,
Quove ſtamine texuere vitam
Concordes habili manu ſorores?
Vt læſum hoſpitii infidelitate
Prioris, laribus tuis Iacobum
Libens excipias, juveſque partis
Illum divitiis, ameſque quantùm
Germanum potis eſt amare frater.
Ingratus meritò queam videri,
Nî poſthac tibi gratias rependam
Iuſto munere gratitudinemque
Teſter officiis habere apud me
Locum. Non fuerit dies, tui quæ
Boiſſardum immemorem notare poſsit:
Teſtatum quoque poſteris relinquam,
Dilexiſſe aliquando me Fainum.

AD LAELIVM CLEOPASSVM HYDRUNTINUM.

COnſuetudine quòd mei Faini
Vtar liberiùs libentiuſq́;
Quàm multorum aliorum, id ægriùs tu
Fers, ut autumo, Lęli, & ante poni
Hunc tibi arguis: ex eo, quòd ad te
Rariùs veniam, licet vocatus.
Amicus mihi tuque es & Fainus:
Sed eſt neſcio quid, quod æſtimari,
Quàm dici meliùs poteſt. Colendum

Te jubent benefacta quę ingeris: ſic
Te mihi dominum facis. Fainum,
In quem confero quicquid eſt tua olim
Donatum mihi liberalitate,
Affectu parili, nec obligatus
(Tam carê mihi cùm ſit emptus antè)
Amo jure habeoque cariorem.

AD EVNDEM.

A*Mico, Cleopaſſe, deprecanti*
Si neges veniam obſtinatus, eſſe
Te mihi dominum aſſeres ſuperbê,
Non ſodalicio atque amore junctum.
Boiſſardum potiùs mori queréris,
Et quaſſo ſtatues ſepulchra vita:
Luce ſol priùs ignea exuetur,
Et luna radios ſuos negabit:
Concretos citiùs videbit amnes
Ardor Sirius, & calente bruma
Antè pampinea ſedens in umbra
Dulces vinitor auferet racemos:
Quàm partum meritis tuis amorem,
Ingratis violet Iacobus auſis:
Aut quam poſthabitum alteri inſolenter.
Perſtringat petulans ſuis Camœnis.
Cùm nuper legeres mihi Fainum
Propter munera, quæ dedi merenti,
Et tanquam hoc precio eſſe cariorem,
Pręponi tibi ne arbitrere. Carum eſt
Id carê quod emis, magiſque carum
Quod tu cariùs obtinebis emptum.

Scripſi te dominum & ſimul colendum:
Me tibi ob benefacta dedicatum:
Excludi hinc amor haud poteſt, opinor.
Vt te judice (nî jocere) verſu
Charta audax temerario locuta eſt.

AD VETVRIVM LEONTIVM HYDRVNTINVM.

NOn eſt congrua cuilibet, Leonti,
Laus: & qui meruere prędicari
Scriptorum calamis (iota binum aut
Quos ternum excipiet) tenacitate
Ingrata a ſtudio avocant poëtas.
Phrygum relliquias vadis adactas
Cycladum ingenioſus eruditæ
Auctor Franciados reliquit: & cur?
Damnavit ſteriles chelys lucernas.
Civiles gemini tubæ decenni
Sublimi pede Gallicum furorem
Cantaſſent: Solymi & modos poëtæ
Germano legeremus ore, avara
Nî avertiſſet utrumque dextra vatem.
Si vivat Macedo Imperator iſto
Non lugeret Homerum abeſſe ſaeclo.
Męcenas fuerit, ſuiſque donet,
Quantùm Vergilioque Horatioque,
Erunt Vergiliique Horatiique.
Huic adde & Venetum ſimul Senatum,
Qui tetraſtichon ut relegit Acci

Divini ingenii, dedit merenti
Dono millia bis duo aureorum.
At nunc ridiculæ valete Muſæ:
De ſpectas Heliconis itè ad undas.
Vos faſtidia nauſeamque noſtris
Fertis temporibus: valete: namque
Mercimonia fabulęque veſtrę
Exploſę fatuo jacent popello.
Nec, ut moris erat diebus illis,
Cùm Virtus habuit ſuos honores,
Magnatum licitum eſt ſedere menſis.
Vnctis (dum pateat culina) poſthac
Vos coquis dabitis breves cucullos.
Vt laudabilium eſt relicta cura,
Laudari quoque turpe judicatur.
Caſtam Thaida qui aſſeret, movebit
Riſum Thaidi: nec ferus benignum
Se dici Phalaris ſinet: nec abs re:
Nam mendacia cur repenſet auro?
Vobis, Caſtalides, probè cavetur:
Dum jubemini habere pura labra.
Ne malum referatis hinc odorem,
Ab his cimicibus manus tenete.

IN INGRATOS.

DElirare aliquando me juvabat:
Atque horum benefacta prędicare,
Quorum munere ſublevata egeſtas
Eſt nunquam mea: liberalitatem
Illorum neque ſenſerim: niſi quam

Nemo aut ǔnius æſtimaret aſsis.
At verſa vice, me meiſque abuſi
Sunt ſemper ſtudiis laboribuſque.
Quicquid tempore ſedulæ juventę
Donis nobilium ſimul coëgi,
Antiqui æris & aureę figuræ,
Nummorumque (quibus referta dives
Nobis arcula ſępius refulſit)
Subduci mihi ſum volenſque paſſus.
Dum fui locuples, ſuperfuitque
Res donanda, ſuperfuere amici,
Palpum qui injicerent, opeſque ferrent.
Quis non obſecro prodigos amaret?
Laudabam quoque & æſtimabam amicos,
(Tanta amentia pectori incubabat)
Qui meis ſpoliis onuſti abibant.
Męcenaſque mihi vocatus ille eſt
Gratus, ſplendidus, atque liberalis,
Qui cautè mea ſubtrahebat. At nunc
Auxit judicium imminens ſenectus:
Tot diſpendia me pudet tuliſſe:
Noſtram dilapidaſſe pœnitet rem,
Et fucis mea mella contuliſſe.
Hami, retia, ſpongię trabaces,
Quę furtim rapuiſtis, abſtuliſtis,
Voraſtiſque mihi meos labores,
Mutuas neque quis vices rependit:
Veſtris nominibus meas papyros
Fœdaſtis ſatis: hinc foras abite:
Æternúmque valete ſanguiſugæ.

AD DOMITIVM FAINVM BARDOLINUM, PROFICISCENTEM, UT UXOREM DUCERET.

I Felix, abitum tuum, Faine,
Di boni auſpiciis bonis ſecundent.
Tollat ſe viridi revinctus ulva
Benacus, Titiamque Bardolina
Natam conjuge conjugem nepoti
Iungat. Tuque iterum tuis revertas
Amicis, teneræ comes puellæ.
Nos feſtas Hymenæon ad choreas,
Nymphas & Venerem Cupidinemque
Plaudentes hilari manu ciemus.
Te mater Pariſola anus ſequetur,
Cana tempora vincietque myrto.
Et dicet bona verba, lucidaque
Luſtrabit face filium nurumque.
Venturiſque nepotibus ſuperba,
Sacra thura feret Deis acerra.
Indignata Helene torum occupatum
Lugebit: Dominam tamen verenti
Colet ſervitio, tuum illiuſque
Vultum ſollicitis notans ocellis.
I felix, abitum tuum, Faine,
Di boni auſpiciis bonis ſecundent.

AD BASILIVM CHARONDAM EPIROTAM.

INtegerrimus omnium Italorum,

Omnium lepidiſſimus virorum.
Optimuſque ſodalium meorum
Te noſter, Baſili, Fainus orat
Ad cœnam venias tibi paratam,
Timandræque: Aderunt ſimul vocati
Lentulus, Cleopaſſus, Æliaque
Nata Silvia, cum ſua parente.
Nos ad Simplicii vireta Cai
Conducta vehimur phaſelo, in urbem
Sub noctem rediturі. Age ergo, teque
Expedi citò: navigationem
Vrget aura ſecunda, remigumque
Manus. Scire velis quibus ciborum
Cœná lautitiis paretur? illis
Quas locus, dominuſque, quaſque tēpus
Admittit. Quia delicatiore
Es gula & tenerum eſt tibi palatum.
Erunt quæ moveant tibi ſalivam
Tenellis adipata farta pulpis.
Erit nectoreo liquore potus,
Melle dulcior & favis Hymetti:
Quem partim geminis bibes ocellis,
Et preſſis ſimul hauries labellis.
Sed uxor tua tunc poteſt abeſſe:
Ne te ſollicito miſella vultu
Tam dulci notet ebrium meraco.

AD TIMANDRAM RAPHAIDEM ALBANAM.

Timan-

TImandra o Veneris nitens ocelle,
Molles diliciæ alitis Dei, quæ
Quò vis blandiciis tui Charondę
Cor flectis, dominum virumque ſolis
Nutibus moderando, ego & Fainus
Cœnam in Simplicii paramus hortis:
Vbi Medoaco adjacens viretum
Odoram recubantibus per herbam
Vmbras præbet amœnitate tanta,
Vt te judice, ſi locum annotaris,
Præferri Elyſiis queat roſetis.
Qua vehamur eò ſimul, phaſelus
In portu inſtruitur: moraſne ſolus
Tuus vir faciet, meo recuſans
Indulgere dieculam Faino?
Rue in baſia, & implica lacertis
Omnium precibus recalcitrantem.
Hunc bis terque quaterque ſuaviare,
Quinquies decieſque centieſque,
Donec compuleris venire, ſive
Id nolens faciat volenſve: nolet
Non veniſſe, ubi viderit tot eſſe
Illum qui redament ſimul ſodales
Atque heic imperio, miniſque honeſtê
Vtére: in reliquis modeſtiam ille
Laudatumque ſilentium requirat.
Vim ſibi fieri ſinet: modò & tu,
Qua riges, poſita ſeveritate,
Dum fictum miſero exprobas amorem,
Paulo ſeriùs ad torum reverſo.

Illius quoque vim feras libenter.

AD LAELIVM CLEOPASSVM.

LÆli, iuro tibi Deos Deaſque
Terræque & maris & poli nitentis:
Iuro amicitiam tuam, meamque,
Et pectus tibi deditum Iacobi:
Nobiſcum niſi naviges ad hortos
Cai Simplicii, fore ut Fainus,
(Qui te plus oculis ſuis amat, quem
Amaſti quoque plus tuis ocellis)
Si quando officium illis requiras
Flagitans, operam ſuam recuſet.
Quæ, rogo, levitas tua eſt, ſodali,
Cui paulo antè tuam fidem obligaſti,
Diem dimidium negare? tantę
Tuum ſcilicet occupationes
Diſtringunt animum: quaſi id lateret
Quod te detinet & vetat venire.
Si tanta eſt rigidi libido nervi:
Si tantùm tribuis minis Marycæ,
Vt vilis tibi ſimque ego & Fainus:
Ad cœnam ut renuas venire, nervus
Faſcia tibi mollior madente
Sit, loroque remiſſior ſoluto.
Languida piger arguare vena:
Proditor thalami tui & Maricæ,
Irataque foris cubes amica.

AD BASILIVM CHARONDAM.

Lariſſæ

LAriſſæ Baſili lepos, Fainum
Qui vinctum retines, tenebricoſis
Dum noctis mediç vagatur horis,
Baſio Hippolytæ ut fruatur, arce
Lictorun arcitenentium catervam:
Meum carcere libera ſodalem:
Aut ad Hippolytam remitte: velſi
Amanti invideas, ſuo Iacobo
Redde: Sic Raphais tibi favens ſit:
Sic conchas imitata, ſic columbas,
Preſſis oſcula det proterva labris:
Sic morſu tibi vellicet comantes
Myſtacis rutilæ pilos, notaſque
Collo dentibus imprimat cruentas.
Et tu, cui dolor acris, & voluptas
Riſumque & lacrymas ſimul movebit,
Duræ verbera dum feres puellæ,
Diſce quanta neceſſitas amantes
Invitos etiam incitet: Fainoque
Indulgeto aliquid, tenebricoſis
Dum noctis mediæ vagatur horis,
Baſio Hippolytæ ut frui potis ſit.

AD RVTILIVM SARAVESAM VENETUM, I. C.

VRbis Euganeæ & ſacri Senatûs
Lecte flos Saraveſa, cui reorum
Pro patrocinio bona, atque vitam
Dulce eſt fundere: qui ſeveritatem

Legum corrigis, & benignitate
Mitigas rigidam neceſsitatem:
In te herì potuit meus Fainus
Quid committere? cur pati repulſam
Apud te mereatur. Id repoſcit
Non quod crimine perdidit, ſed ipſo
Iuventæ vitio. Suæ puellæ
Furva nocte torum petens, nec ulli
Dum eſt injurius (ut levi eſt juventus
Oeſtro percita amoris) enſe nudo
Dum ſoluſque vagatur, in cohortem
Incurrit vigilum, quibus Charondas
Praeeſt: hos gladio (arbitratus eſſe
Rivales) premit, urget, inſtat, omni
Conatu inſequitur, ruitque punctim
Ac cæſim feriens cruentus. icti
Tres ſunt per tenebras (amor coëgit
Certum eſt) quò malè ſuada ſæpe amantes
Non pellis cupidos Venuſque noxque?
Et jam creber ad arma ad arma clamor
Impleratfora: jam gradu citato
Turmatim excubiæ, quibus tuendi
Data eſt cura palatii, advolarant:
Et denſo agmine cinxerant Fainum,
Virtuti nimium innocentiæque
Fidentem, & validę manus vigori.
Abinſtantibus apprehenſus, armis
Privatus clipeique caſsidiſque
Eſt munimine. At eſt domum remiſſus
Paulo poſt. (Quid enim mea Charondas

Cauſſa

Cauſſa non faceret?)tamen tenéri
Armorum mala reſtitutioni
Se negat vigilum cohors. Tuam nos
Imploramus opem:& boni ſodales,
Quos per Medoaci fluenta nuper
Cymba te comite adviret a Cai
Vexit:dum gremio tuo recumbens
Barbiti increpuit canora fila
Pulchra Livia pulchrior Dione.
Tunc ſuſpiria crebra, tunc genarum
Inconſtans rubor,& micans ocelli
Fulgor,prodidit intimis medullis
Arcanam Veneris latére flammam,
Quæ te affirmet habere comitate
Culta pectora:teque poſſe amantum,
Dum eſt æquum,miſereri,opemq; preſſis
Ferre.Quòd ſi ego, pro ut merere, dudũ
Te colo coluique,ſi ſagittæ
Te fixere Cupidis,jugumque
Si commune tuliſſe non negabis:
Nec peccaſſe fateberis Charondam,
Liberum mihi qui meum Fainum
Volens reſtituit,preceſque apud te
Si quid ponderis obtinere poſſunt.
Huic ablata jubebis arma reddi.

AD BASILIVM
Charondam.

NOnne fata quibus fui creatus,
Et ſortem,Baſili,meam execrabor:
Quòd nec conſilio, nec arte poſſim

Fortunę effugere impetum ruentis?
Quoq; ego cupio mihi cavere
Circunſpectiùs, hoc magis magiſque
Damnorum miſer obruor caterva.
Neu quid deeſſe hodie meo dolori
Poſſis credere: quorum ego innocens ſum
Pœna in me luitur: Tuo Fainus
Quòd eſt munere liber, obligatus
Ero in perpetuum tibi: Sed adde
Nunc novam veteri obligationem.
Arma poſcimus, imperato reddi.
Conſentit Saraveſa, & id quidem ultro:
Solo in te poſita ipſa difficultas.
Loricam & clipeum mea eſſe nemo
Ibit inficias: dabóne pœnas
Quas non promerui? Reo remiſſa
Culpa, cur ego plus nocénte plector?
His ſum ſideribus ſatus, Charonda,
Vt ſi concidat ultimis in Indis
Compages laceri ſoluta cœli,
Oborta feriet (licet procul ſim)
Caput pars aliqua hoc meum ruinæ.

ADRIANO VALERINO VERO-
nenſi, Zelotyporum Comœdo.

VEronæ decus Adriane, cujus
Manat ore lepos, Hymettiiſque
Delibuta favis loquela: cujus
Bino lumine fulminat coruſca

Blandum

Blandum neſcioquid tener ſagitta
Natus Cypridis: Eloquentiam illam
Terſam, mellifluam, gravem, diſertam
Tui carminis annotavi, & acris
Abſtruſam ingenii eruditionem.
Vidi ſcripta tua exarata dextra,
Quibus vincis Apollinis ſequaces,
Et quoſcunq; novem æmulos ſororum,
Et quò ſæpius hæc mihi leguntur,
Sæpius relegi volunt, ſuoque
Sunt grata eloquio magis magiſque.
Et ſuadent poſito tuas pudore
Rurſum ſollicitem occupationes.
Reſcribe, obſecro, flagitanti amico
Quod nuper tibi contigit, relato
Ad convexa nitentium polorum
Sidera: optio dum eſſet eligendi
Munus a Supero Tonante, quando
Iovis fulmen, & ægidem Minervæ,
Sævum cærulei ſenis tridentem,
Et Ditis Stygii ſevera tela
Contempſti, frameamq; Martis, & quã
Vibrat Cynthia lanceam, quibuſque
Quõdã uſus temere eſt patris quadrigas
Infelix Phaëthon: ſed his repulſis
Conſultò, pueri alitis pharetra,
Atque arcus placuit, faceſque: quarum
Certa adjutus ope, furens amantum
Virus pectore, & intimis medullis
Graſſantem ipſe retunderes furorem.

Da, quæſo, brevibus notata chartis,
Si quorum memor eſt adhuc tibi mens.
Sic Maiâ genitus tuos ſecundet
Conatus: tua ſic labella Pitho
Facunda obſideat, foro frequente
Vt plauſu populi omnium favorem,
Et laudes mereare. Silviæ ſic
Sacratus tibi ſit decor: nec unquam
Cari deſtituat latus mariti.

AD PHILIPPAM LAZAEAM Polanam Illyricam.

AMo te, fateor, Philippa, amo te:
Imo depereo impotente amore:
Tot tantiſque animi bonis amandam:
Tot virtutibus uſque perpolitam:
Tantis denique dotibus celebrem, ut
Qui te non amet, omnium æſtimari
Virtutum valeat profanus hoſtis.
Et pronum mihi pectus eſſe ſuevit
In doctę ingenuum puellę amorem.
Sic me Fulvia non lepóre formę,
Non aſtris oculi micantibus, nec
Comarum nitido ſubegit auro:
Sed quòd Aonii perita plectri,
Suavi carmine barbiton canoram,
Doceret reſonare: voce eandem
Concordi harmoniam exprimens manuque.
Faſtidire viros ſoles, Philippa:

Et

Et Cupidineum alitem Cyprimque.
Quorum numina pernegas: faceſque
Audes temnere vel Deis timendas.
Sed fiet, video, aurea ut ſagittâ
Furas ſaucia, amans tuum Iacobum.
Tuam diſſimulans ſuperbiam qui,
Tot poſt baſia, quot polus relucent
Aſtra, te ſubigat, ſuiſque preſſam
Loris vinciat, offeratque captam
Contemptis Veneri Cupidinique.

AD FABIVM TAENIAM SALERNITANUM.

FAbi, omni officio mihi colende,
Sed monende tamen tuo ſodali:
Si jus hoc tribuis mihi, nec ægrè.
Ereptum tibi doctum & eruditum
Natum funere dum doles, paternam
Tu mentem geris, at parùm virilem,
Dum accuſas Superos, leviſque Fati
Mœſtus judicium vocas iniquum.
Fuit filius & tuo & bonorum,
Dum vixit, ſtudio atque amore dignus,
Ob dotes animi. Sed ut ſtatutum
Mori eſt omnibus, illud in juventa,
Sive decrepita accidat ſenecta,
Nil refert. Sapientis eſt Deorum
Subjici arbitrio, & pati libenter
Cuivis propoſitam neceſſitatem.

Vitæ curriculum breve eſt: ſed illa ad
Vivendum benè ſat ſuperque longa.
Nec mori eſt grave, ſed bonum expetẽdum
Bono eſt: nî patria aut pii parentes,
Amicive operam tuam requirant:
Quæ poſt funera inutilis futura eſt,
In vita hac ſumus hoſpites, iterque
Nobis difficile & labore plenum
Tot ſudoribus antè metiendum
Quàm cœlis capiamur! eſt paterna
Vbi æterna domus quieſque parta.
Ad quam non niſi morte venit ullus.
Hi ſoli metuant mori, Deos qui
Curam habere hominum negant, ſuam ſed
In vita hac ſtatuunt beatitatem.
Mors nos liberat a malis: labores
Tollit: & bona dat bonis fruenda.
Defunctos lacrymis ſequi, pium atque
Humanum puto, dum modum doloris
(Ignotum mulierculis) ſequamur.

MARCO FOSCARINO PRAETORI PATAVINO.

SVpplex hoſpes & indigus, tuoſque
Ad pedes ego provolutus adſum,
Lumen Adriaci micans Senatus,
Fautor juſticiæ integer, ſacrarum
Tutor optime Foſcarine legum.
Vitæ ſubſidium meę crumenam

Quinqua-

Quinquaginta gravem aureis, & ultra
Subtraxit mulier doloſa, cujus
Receptus fueram domo: negatque
Pertinaciter omnia: & ſuperbit
Certis fulta ſodalibus viroque:
Ad quos pars rediiſſe magna tanti
Furti credibile eſt. Probare factum
Coram judice me jubet: minaſque
Miſcet neſcio quas: daturam ait ſe
Per ſuos operam, ut mihi iſta lis ſit
Magni cauſſa mali, neciſque, ſi ſic
Opus ſit fieri: æquitate facta hæc
Librata trutinentur omnia, oro.
Et patrocinium meum, benigne
Prætor, ſuſcipe. Poſco nil iniquum:
Ereptum repeto ſacrum tribunal
Amplexus. Quid opus probationum
Tot ambagibus? Hoſpitē eſt protervū
Tot forenſibus implicare technis.
Vnicuique quod eſt ſuum dare, illud
Opus juſticię eſt. Age ergo, tuque
Qui ſis eſto memor: locumque, quo tu
Sedes, adſpice. Sanctus en Senatus
Hoſpitum inviolata jura mandat
Eſſe, pręcipuê Scholaſticorum.
Qui dum Mæonidum occupant ſororum
Receſſus, nequeunt vacare tectis
Malorum inſidiis. Dei tibi dent
Prudens conſilium: ut ſceleſta tandem
Correcto pateat rapina furto.

Nec tuliſſe querar domum reverſus.
Tanta judice damna Foſcarino.

AD LAELIVM CLEOPASSVM.

AH quanto ſatius fuit priorem
Fortunam tolerare, quàm ſecundā
Poſt tot tædia rebus experiri
Submerſis? Spoliatus ecce nummis
(Quos furto abſtulit illa anus nefando)
Nunc gemo aßiduis dolens querelis.
Coram judicibus peracta res eſt.
Factum conſtat, ut eſſe clara verum
Conjectura probat. Tamen quid ad me
Nunc rediſſe putas? ad illa quinque &
Quinquaginta doloſê adempta, junxi.
Rurſum bis tria quæ ſuperfuerunt.
Merces hęc hodie data advocatis,
Vt ſint certiùs illa adempta nobis.

IN PHILAVTVM.

QVàm felix potis es, Philaute, dici!
Qui myſanthropos undique æſtimaris.
Seu domi lateas, forove ſolus
Erres: dicere nemini ſalutem
Soles: nemo ſolet tibi ſalutem.
Precari. Tibi non cupis ſodalem?
Nemo vult fieri tibi ſodalis.
Securum hac ratione ducis ævum!
Rivali ſine dum te amas, Philaute.

AD ALARDVM QVINTVLUM NARNIENSEM. I. C.

NVlla injuria non gravis videtur
Cordato: intolerabilis ſed eſt, quæ
Prætextu pietatis atque honeſti
Viro illata bono eſt & innocenti.
Virtute, & meritis, modeſtiaque
Fers indigna, tibi calumniator
Notam dum malus ille virulenta
Lingua inurere nuper auſus eſt: ſed
Non miror fieri id: peculiaris
Doctorum populi tyrannis hæc eſt:
Quorum incendere plumbea ira pectus
Implacabile felle viperino
Aſſuevit, quoties hypocriſim horum
Non probaveris, aut quod hi patrarint
Obliquis facinus notaris hirquis.
Deum protinus impudenter armant:
Tanquam flagitiis Deus patronum
His ſe præbeat: & manu coruſca
Horum ad imperium minax triſulca
Vibret fulmina: Tartaroque ab imo
Evocet Furias in ultionem,
Quorum ſacrilegis nocenter auſis
Et fama opprimitur palam atque vita.
Monſtra hęc ambitionis & ſuperbi
Faſtus, relligionis & ſacrorum
(Quæ bonis pietas colenda mandat)
Abuſi titulis, ſimul profanant:

Divorumque hominumque jura: & aptant
Hæc affectibus & ſuo furori.
Nulla juſticiæ videtur eſſe
Sævior capitaliorve peſtis
His, qui perniciem alteri ſtruendo,
Dum ſunt, Quintule, maximê nocentes,
Tam cautê tamen hoc gerunt, aguntque
Vafrê, ut inde viri boni æſtimentur.

AD PETRVM FRIDERUM MINDANUM.

QVi larvam pietatis induit, qui
Vivit a populo ſtipe erogata,
Pauperumque avidê vorat labores:
Nunc cum conjuge glubit otioſa,
Vt ignavus inutiliſque fucus,
Apum dulce penu, omniumque in unum
Corraſis opibus libidinatur:
Qui poſt vina ſolet meridiari, &
Plumis ſtertere molliter volutus:
Indulgens genio domi, foriſque,
Se fingit Curio ſeveriorem.
Heſternis ſtomacho cibis gravato
Mane pallet adhuc, ſaturque pleno
Nunc jejunia ventre laudat: hujus
Cenſura bené res geri neceſſe eſt:
Atque reſtitui probê eius olim
Corruptos imitatione mores.
Sugillat tamen illem ebonus vir,

Quòd

Quòd privatus agam, procul remotus
Ab omni abitione, quòd peculi
Contentus modici bonis, beata
Cum amicis paribus fruar quiete.
Cum queis otia litterata ſector,
Frundoſa recubans modò ſub umbra,
Vatum carmina ſacra lectitando,
Scita aut Philoſophûm vetuſtiorum:
Modò in margine rivuli ſonantis,
A ſcripti meditatione verſûs,
Somnos murmure capto glarearum,
Quas criſpo rotat unda mota fluctu.
Si laxare animum velim his relictis,
Atque ſubtrahere hunc juvet labori:
Tunc fornacibus excoquo metalla,
Vividaſque hominum typis figuras
Aut docto exprimo cuncta penicillo.
Tractantem iſta, Fr idere, cenſor ille
Curis me vacuum vocat, poëtam
Nugis implicitum & voluptuoſum.
(Nam nil cõfero quod ſuem hunc ſaginet)
Nempe hęc eſt ea quam ſequor voluptas:
Atque hoc judice ſum reus futurus.

IN FVSCVM.

BOccaci, tuus ille frater, ille
Capelletus, honore quem deorum
(Impoſtoris hypocriſim haud videndo)
Tollit Divio ad aſtra, & æquat illis
Qui virtutibus atque ſanctitate

Vitæ ſunt celebres:& æſtimantur
Digni inter numerarier beatos.
Ille, inquam, veterator, & dolorum
Structor ingenioſus, huc magiſtro
Miſit diſcipulum peritiorem.
Fuſcum ſcilicet illum ineruditum,
Qui centonibus undequaque raptis,
Cantãdum Arcadibus libellum aſellis,
Et cacantibus, edidit legendum.
Is mala ut valet, & loquace lingua,
Felle dum labra tincta viperino
Solvit, proh Superi, quot atque quantis
Fama fluctibus æſtuat bonorum?
Quem non invidia, & malignitate
Proſcindit? laniatque clamculum, quos
Coram ſacrilego putes amicos.
Illi ſemper in ore charitas, &
Iura amicitię colenda rectis.
Illi juſticia æquitàsque verbis
Summis laudibus evehuntur: haſque
Inculcat populo, quibus latenter
Tercentum artibus adſtruit ruinam.
At docet tamen, inſtruitque plebem:
Suggeſtum occupat, intonatque quãtis
Malos ſuppliciis fatigat Orcus:
Impudens balatro, Iovem latere hęc
Impoſtura nequit. Lucretiam cur,
Thais, virginibus canis ſequendam?
Si te adhuc olidum tenet lupanar.
Impudentia ſed tibi iſta Virtus

Eſt.

Eſt: nam flagitii omnis atque culpę
Pallorem eluit, & vetat rubere
Deprenſum in ſcelere, atque veritatis
Moroſam cohibet ſeveritatem.
Perfrictę juvat eſſe nempe frontis.

AD PHILIPPAM LAZAEAM POLANAM.

DOcta es non modiocriter, Philippa:
Scribis & loqueris Latinê: & arte
Condis carmina non inelegante.
Sed cùm me vocites tuum magiſtrum,
Cenſoremque operum velis tuorum,
Es, ſed cum venia, mihi monenda.
Vſurpare diaſtolen licenter,
Non parvo vitio datur poëtæ.
Docemur leporem a lepóre longê
Differre, & decus a decóre: nullum
Diſcrimen facere in quibus videris.
Syllabis ſuus eſt modus: ſed ipſa
Productis, video, úteris libenter.
Nunquam deficiant tibi pedales.

PALINODIA. AD EANDEM.

PEccavi, fateor: quis hoc negaret?
Dum ſtulta levitate doctiorem
Me multo reprehenderem puellam.

Summum dedecus omnium troporum
Execranda diaſtole, negetur
Inter Grammaticas tibi figuras
Locus. Cur mihi nuper abſtuliſti
Meum cor, animam meam, meoſque
Ocellos? ſcelerata, Dj Deęque
Perdant te ſimul, & mihi Philippam
Reddant. O mea lux Philippa, parce
Bile offendere luminum nitorem,
Atque illos radios, quibus coruſca
Cœli ſidera vincis: o amabo,
Ignoſce immeritis tuis labellis:
Quæ nunc coralii ſui ruborem
Mutarunt in ebur: tuas amaro
Ne perſtringe, precor, genas veneno.
Placetur mala bilis illa, quę te
Infeſtam mihi reddit: atque Iambum
In me ſcribito. Finge me, licebit,
Furem, ſacrilegum, impium, latronem:
Feram qualibet: imo mî labella
Conteri patiar tuis labellis.

PALINODIA ALTERA.

AD EANDEM.

QVid feci miſer? heu: ſcelus patravi,
Cur offenſa magis gemas? Philippa:
Scriptis en ego publicis recanto,
Quæ priùs malè dixeram, pedalem
Averſor modò ſyllabam, & rigere

Quod

Quod non nolle aliquando te jocabar.
Quid ultra, mea lux, rogas? quid ultra
Vis me dicere? Qualibet fatebor,
Agam, perpetiar, modò ſerena
Me fronte excipias, minaſque vultûs
Exuas. Age, corculum: remitte
Iram iſtam, placidoque cede amori.
Si mortem mereor, feram ipſe mortem.
Sed non ſit mihi carnifex moleſtus:
Læſi te, animæ meæ levamen:
Tu tu me crucia, tuiſque preſſum
Exhalare animam jubeto labris.

AD EANDEM.

RIſit, o Superi, meo Philippa
Lecto carmine: riſit, & remiſit
Iram illam ſceleratam, & hunc furorem,
Ad ſuſpendia qui quaſi redegit
Me nuper: rediit color genarum,
Fulgor luminis, & rubor labelli.
Vocas me? propero citò, Philippa:
Alas præſtat amor. Iube: adſum: at adsũ:
Quid me vis, mea lux? Quid eſt tibi quod
Præſtari cupis? ad tuos paratus
Nutus advolo: ſeu mori velis me,
Sive vivere, præſto ero. Negetur
Boiſſardo priùs illa vita, quam tu
Illi reſtituis, jubarque ſolis
Nunquam conſpiciat, niſi unicam te
Colat, te redamet, tibique ſoli

Vſque ad funera ſerviat libenter.
Sed quid funera dico? pectus iſtud
Immortalis amor meum ſubivit:
Servum in perpetuum me habebis ævum.

DE LIVIA, VETVRII Leontii filia.

DVlce ſuaviolum patris, Veturi,
Molles deliciæ tuę parentis:
Conſolatio, menſque, corculumque,
Optatumque aviæ atque avi levamen:
Compta, bellula, delicata, alumna
Pulchrę, Livia, pulchrior Diones:
Pulchra, Livia, pulchrior columba:
Suavi, Livia, ſuavior lepóre:
Beatura ſimul tuos parentes,
Avumque, atq; aviam, domumq; totam.
Cunas alma Venus tuas coronat:
Coronant Charites Cupidineſque
Liguſtriſque, roſiſque, liliiſque:
Et dicunt bona verba, ſuaviantes
Pectus lacteolum, oſculum, genaſque.
Cur mulces teneros puellę ocellos,
O amor ſcelerate? in his ſagittas
Ludendo pharetrę tuę recondens.
O quot hinc juvenum futura poſthac
Corda ſaucia ſunt! quot hinc volabunt
Paſturi igne ſuo intimas medullas
Ardentes radii, leveſque flammæ!

Creſce

Creſce ſideribus benè auſpicatis
Selectiſsime flos puellularum.
Creſce fœminei futura ſexûs
Lux, jubarque, decuſque, lauſque, honoſque.
Creſce bellula, creſce delicata:
Creſce deliciæ Deûm atque alumna:
Blanda Livia blandior columbâ:
Suavi Livia ſuavior lepóre:
Cura Cypridis alitiſque nati,
Et trium Charitum: futura poſthac
Parentumque & avi, & domûs levamen.

AD FRANCUM APOLLODORUM PICTOREM Venetum.

SIc te Dique Deæque, Apollodore,
Servent: ſic tibi ſit beata vita:
Fama ſic tua, ſic honos redundet,
Quà pictis Hyperionem videmus
Ab Indis jubar, & facis coruſcæ
Ignes tollere: & a plagis Eois
Longo tramite porrigatur uſque
Ad Gades Zephyrumque, ubi peracto
Tandem curriculo cadens anhelos
Phœbus mergit equos, ſubitque ſalſæ
Stagna Doridis hoſpitæque Tethys.
Sic nomen tibi pullulet perenne,
Quà ſarraca piger movet Bootes:
Viciniſque polo refulget aſtris
Tarda Mænalis: atque id augeatur,

Favorem glomeretque, donec imos
Paulatim antipodas, ſolumque flammis
Subjectum Æmoniæ prehendat Argûs,
Et Peluſiaci globum Canopi.
Sic te plauſibus evehant Camœnæ
Quòd vivos mihi Lælium & Fainum,
Et vivum mihi Paxium dediſti,
Tres partes animæ meæ, meæque
Mentis vincula: qui tuo fatentur
Munere eſſe ſuperſtites, diemque
Per te cernere, quique pollicentur
Teſtes ſe fore diligentiæ, atque
Pulchræ ſedulitatis, heic & uſque ad
Gallorum populos, tuaſque laudes
Narrabunt memores, tuoſque honores:
Quà piſcoſa Dubis fluenta parvum
Deſſubrim excipiunt: ubi paternis
Conjuncti Laribus, mihi colentur
Poſthac. Nonne vides tibi ut renident
Spiranti in tabula? ut labella motu
Diducunt modico! ut meros amores
Blando lumine fulminant ocelli?
Cedant o tibi Zeuxidis labores:
Cedant Mentoris & Myronis artes:
Et Coi faciles manus Magiſtri.
Te longè melior tulit Minerva.
Te longè auſpicio potentiore
Mundo ſęcula noſtra ſuſcitarunt:
Vt dextrâ artifici tuum beares
Boiſſardum, & lepidis tuis tabellis.

Sic te Dique Deæque, Apollodore,
Servent, ſit tibi ſic honos perennis:
Quòd vivos mihi Lælium & Fainum,
Et vivum mihi Paxium tabellis
Tres partes animæ meæ dediſti.

AD NICOLAVM CLEMENTEM MONACHUM Luxovienſem.

MVſæ ignoſcite falſa ſuſpicanti:
Muſę ignoſcite perparam locuto:
Et tu Patria, quam nimis ſeveram
Scripſi olim immerito fuiſſe alumno.
Quòd mihi veteres meos ſodales,
Quòd mihi veteres meos amicos
Externis regionibus vaganti
Auſa es ſubripere, & negare eorum
Quæſitam meritis fidelitatem.
Noſtro ignoſce dolori, & ulceratum
Ne tractes animum nimis ſeverê.
Ex centum mihi qui fuere amici,
Vix unus ſupereſt, duove, quique
Noſtram amicitiam volunt taceri,
Ævo conſona turba tortuoſo.
Iactura hæc levis eſt, eritque ſemper,
Dum Clemens ſupereſt, ſuoque ſervat
Conſtanti ſtudio fidem Iacobo.
Clemens Luxoviâ colens in urbe
Sacratos Heliconidum receſſus:
Clemens condere doctus elegantes,

Dignoſque Aoniâ modos Thaliâ.
Doctus plectra movere, barbitique
Fides ſuaviſonis ſequi labellis.
Clemens cui puero dedêre amicum
Me quondam puerum bonę Camœnę.
Quem non viderat ille quinque luſtris,
Agnovit tamen ex loquelâ: & inquit.
Boiſſardum hæc mihi prodidere verba.
Amplexuſque petens: Have, o mei pars
Cordis intima, non mihi tot annis
Conſpecte, at memori repoſte mente.
Muſæ ignoſcite perperam locuto:
Muſæ ignoſcite falſa ſuſpicanti:
Et tu, Patria, quam nimis ſeverê
Dixi olim mihi ſuſtuliſſe amicos.
Non illi mihi non fuere amici:
Non res, ſed numerus fuere vanus.
Illi temporis ut fuere larvæ,
Sic cum tempore congrui evolarunt.
Pro nullis mihi ſunt mali æſtimandi:
Virtus quiſquilias removit iſtas:
Nolens ſordibus his ſuum inquinari,
Quod colunt homines, Deique, numen.
Hac ſcobe & ſcoriâ procul repulſa,
Puri quicquid erat remanſit auri,
Multorum vice Nicolaus unus.

AD MARCVM ANTONIVM VARANUM.

V*Iſus ſum tibi cœnitaſſe parcê,*

Et

Et læſiſſe meam æſtimationem.
Viſus ſum tibi parciùs bibendo,
Levis parcere ſumptibus crumenæ.
Sed tu falleris: eſtimationi
Nihil derogo, nec levis crumenę
Parco ſumptibus: at gulâ & palato
Conſultis, rationem habere nitor
Valetudinis & mei appetitus.
Quid riſu quateris? manuque labrum
Comprimis, patulas trahiſque nares,
Salſo ſcommate ſibilans Iacobum.
Pictor ingenioſe, primus, inquis,
Exhibes mihi ſobrium poëtam.
Iudicem ſtatuis, Varane, bellum.
Dic, inſulſe, neceſſe judicabis,
Muſas qui colat ebrioſus ut ſit?
Nec ſi Męonium notæ iſta tangat
Vatem, & qui Samium canit Bathyllũ:
Enniumque, Lycoridoſque amicum:
Ceteroſque quibus vocatur Evan:
Atque in Caſtalio jugo locatur,
Commune id vitium omnibus poëtis
Aſſeres? Age, dic amabo, quales
Lęliumque Veturiumque cenſes,
Duo lumina patriæ tuę? & queis
Hac non pręripies in arte palmam.
Certê abſtemius ille, nec meracum
Hunc guſtaſſe fateberis Lyæum.
Rem ſed imminui cibo vereris,
Ais: Tu benè ſuſpicare: ſic eſt

Placet, Marce: reus tenacitatis
Coram te trahar: Oro, ſubſequetur
Quæ ſententia? quid tibi videtur?
Quis prudentior eſſe judicatur?
Qui gulâ patrimonium vorace
Abſumit, vel idem abſtinentiâ auget?
Pro modo toga metienda panni eſt.

IN LAMIAM.

INſulſiſſimus ille caprimulgus,
Muſarum Lamia oſor atque Phœbi,
Qui vanos ſimul arguit poëtas,
Et mendacia qui vocat poëſim,
Laudari tamen expetit, ſuumque
Noſtris vult celebrarier Camœnis
Nomen, Heus, bone vir, tibi cerebrum
Purgetur, moneo, & priùs paretur
Totis Anticyræ medela ſuccis:
Cúmque te Medici valere dicent,
Tua encomia publicabo. Poſtquam
De virtutibus, & tuorum avorum
Clâro ſtemmate, & eruditione
Tua & moribus, optimaque fama
Scriptis plurima finxero: vocabor
Verus judicio tuo poëta.

AD N. N.

STocai generis perenne lumen,
Magni deliciæ atque alumne Martis:
Qui curas animi, & negotiorum

Duros tam benè temperas labores,
Vt(quæ difficilis maliſque plena eſt)
Lenias ſtudiis leveſque vitam:
Nunc venatibus,aut tenace luctâ:
Aut cęſtu,aut nitidę impetu palcſtrę.
Nunc equum refugos agis per orbes
Gyro multiplici: modò huc modò illuc
Spumantem calidis regens lupatis.
Tractantē tamē hęc(sed & volētem)
Cæco Cypria ſauciavit ictu.
Arcuque Idalius puer reducto
Perſtrinxit tibi cuſpide aurea cor:
Dum flavæ objicit ora caſta Nymphæ.
Fallaces laqueos comis in illis
Criſpulis,nitidis,micantibusque
Recōdens: quibus implicata poſtquā eſt
Libertas tua , colla præbuiſti
Severis dominæ premenda vinclis.
Cujus coralium diſerta Pitho
Labrorum tenet,imperatque ferre
Dulce ſervitium:&,mori,priuſquam
Deſeras ſtationem,& a cruenti
Te ſignis modicùm vel oſcitando,
Vel moto pede ſubtrahas amoris.
Quin in excubiis ſedent ocelli:
Et tanquam e gemina pharo micantes,
Si quam fortè pares,fugam morantur,
Suavi compede pectus illigantes.
Quid mirū?ingeniis amor bonis eſt
Multo ardentior. Is Iovem coëgit

Tauri cornua ſuſtinere, & albis
Oloris nivei nitere pennis.
Nec tu firmior alto eris Tonante:
Nec ridere faces licebit illas
Impune, ipſi etiam Iovi timendas.
Sed commune jugum trahens, prementē
Dilectæ Veneris ſinus Gradivum
Non abſurdê imitabere. Inter arma
Pharetram truculentior Cupido
Perſæpe exonerat: foditque ſummos
Per thoraca duces ſuis ſagittis.
Sic Neoptolemi parens, Achæos
Ante Pergama dum fatigat Hector,
Increpat querulam Chelyn ſub umbra,
Cingens timpora floribus, ſuaque
In Lyrneßide totus eſt puella.
Sic ſudoribus udus, éque pugna
Reverſus Paris, omnibus videtur
Criſtata galea magis decorus:
Ac per oſcula mille ſuaviando
Pulchrā amplexibus implicat Lacęnā.
At te ſive amor occupat, ſororve
Bellonę clipeo fremens Enyo:
Permeßi aut ſequeris chorū & canoras
Barbiti digitis fides laceßis:
Aut, quorum ſtudio frequente gaudes,
Doctorum relegis poëma vatum,
Non abs re fuerit tibi dicare
Hæc Emblemata, lectione quorum
Te oblectes aliquando. Cùm tu eandem

Bellici

Bellici ſimul omnis apparatûs,
Sacrarumque colas ſcientiarum
Sub torva ægide præſidem Minervam.

STEPHANO VIALARDO Verſellenſi.

EQuorum domitor ferociorum
Quotquot Parthenopæa rura quotquot
Mantûs fatidicę colunt vireta:
Paſcuis veniunt vel ex Iberis,
Ducti ab occiduæ calore Calpes:
Lepos Italici ſoli, & tuarum
Verſellarum honor (ut decus genuſque
Spectes nobilitatis) o Deiſque
Mî carumque caput, colo quod æquê
Quantum eſt nunc hominum venuſtiorũ.
Dic, quęſo, Vialarde, dic amabo,
Pectus candidulum, meique ocelli,
Cur Metas veniens tuum Iacobum
Non vidiſſe, nec alloqui horulam unam
Es dignatus? an id nefas coegit
Cæca oblivio candidi ſodalis?
Boiſſardive tui relicta cura?
Sic tibi excidit, & quidem repente,
Luſtris penè tribus neceſsitudo,
Inter nos ſtabili ligata vinclo?
Sic tibi excidit, & quidem repente,
Quam paulo antè mihi fidem obligaſti?
Quam complexibus, arbitraque dextra

Firmaſti: attamen omnia hæc volucres
In ventos abiere: negligique
Adhuc ſe queritur tuus Iacobus.
Sed quorſum objicio hæc? piumque amicum
Importunê onero meis querelis?
Nec mei immemor es: nec illa dextræ
Firma pignora, mutuoque preſſa
Vinclo pectora, nec fides fefellit.
Fuiſti meus, eſque, eriſque ſemper:
Vt tuus quoque ſum, fuique, eroque:
Hoc magis quid amabile eſt amore?

AD IOANNEM BRACONERIUM Metenſem.

QVid moram facitis, leves Phalæci?
Cur ad mœnia nota Divoduni
Non itis celeri gradu? meumque
Huc tandem Braconerium citatis?
Illum inquam Braconerium facetum,
Et comem, & lepidum, & bonũ & venuſtũ.
Cui nec fictio, nec dolus, nec artes
Ingeni duplicis placent: ſed illa
Noſtro tempore tam parùm uſitata
Mentis integritas: abite, & illum
Ad nos ſiſtite: feriæ hoc die, quo
Indictæ populo vacatioque
Vrbi eſt: atque frequens in agro habetur
Vulgi concio. Is huc ſuo ſodali
Feſtinet Lepido comes, ſodali

Tam comi & lepido, ut lepos nec ipſe
Sit magis lepidus: nec ipſa comis
Comitas magis: ambo adeſte, & illa,
Quæ veſtros genios facit politos,
Comitas veniat ſimul lepoſque.
Ronſardum Lepidus, Baïſiumque,
Bellaiumque feret: mihi Catullus,
Pelignoque poëta, Bilbilique
Natus prompti aderunt: erunt puellæ
Vocatæ ex Helicone: & ipſe Phœbus
Aurata reſonans chely: & Lyæus
Dator lætitiæ. Toros virentem
Præbebit recubantibus per herbam
Floreo varius colore ceſpes.
Æſtum, ſi quis erit, nemus propinquum,
Et ſuaves Zephyri, & fluentis undæ.
Leni murmure ſublevabit aura.
Cantantum numeros ſonante roſtro
Augebunt philomelę, acanthideſque
Ertremoſque modos reſumet Echo,
Auditas recinetque turri ab ima
Voces harmonia reverberante.
O læto Lepidum hoc canore lętum!
O lætos Braconerium & Iacobum!

AD PETRVM LEPIDVM Metenſem: de Friderico.

Contemptum doluit, nec abſque cauſſa.
Abs te ſe Fridericus: eſſe eadem

Quòd nolis patina, ſcyphiſque eiſdem
Deguſtare merum. Vereri ait te
Ne quid de ſcabie domum reportet,
Quam Gallam vocitant: at immerenti
Fit injuria. Non minùs leproſo
Mundus eſt Fridericus. Heus inepte,
Quid rides? an & id ſciens negarem,
Quodque his hauſi oculis? at illa teſtor
Quę vidi. Tepido ille ſe lavacro
Purgabat: ſcabies novem, decemve
Hęrebant lateri, illibuſque frixis
Ovis fortè aliquantulum minores.
Debet hoc tibi nauſeam movere?

AD ODOARDVM BISETVM nobilem Campanum.

VIr clariſſime, ſingularibuſque
Cum quovis animique corporiſque
Dotibus, meritiſque conferende:
Qui lauros Aganippidum ſororum,
Latoamque chelyn foves, pioſque
Vates hoſpitio excipis, manuque
Iuvas munifica: an tuum Iacobum
Tam de te meritum benè eſſe cenſes?
Nunc curam illius ut geras libenter:
Leves conſiliis, opemque preſſo
Perhumaniter offeras. Probatur
Adverſis pietás amici: & illa
Bonorum officioſa ſe voluntas

Apta

Apto tempore prodit, improba cùm
Fortunæ levitate fluctuamus.
Gratias duplices tibi fatebor
Deberi duplici obligatione:
Quas omni officio niſi rependam,
Tua amicitia & favore poſthac
Indignum vocita. Tuo quietem
Det Deus ſenio: benè ac beatè,
Securè & placidè lares paternos
Deinceps incolere: & tori pudicam
Conſervet ſociam, augeatque pulchra
Prole: quæ ſenibus ſuis levamen,
Solamenque parentibus miniſtret.
Et ſimul mihi largiatur opto,
Inter ut famulos tuos clientem
Me quoque annumeres: ut imperata
Non impigrè obeundo, jure dicas
Non fruſtra redamaſſe te Iacobum.

IN NVPTIAS LAVRENTII Frideri Mindani, & Annæ Culmannę.

HVc ades, Citherea, voſque Divæ
Suetę Acidaliis lavari in undis.
Mellitiſſime mi omnium Cupido,
Huc te ſiſte. Friderus ille veſter
Flos tener juvenum Thalaſſiorum,
Iam de conjuge bellula, pudica,
Prudente, ingenioſa, & erudita
Agit: quam patrii ad vadum Viſurgis

Rudolpho genitore clara Minda
Gente patricia ſatam educavit.
Hanc hãc deperit ille:& hanc medullis
Intimis gerit:aurea ſagitta
Demulcenda tibi eſt jugum ut capeſſat
Matris Idaliæ.En torum jugalem
Culmanna ingreditur decora , qualis
Tithoni croceum cubile nata
Taumantis ſubit: aut Diana Latmi
Summa culmina,baſio ut fruatur
Dilecti Endimionis. Euge, felix
Laurenti: accelera, novęque nuptę
Fidem amplexibus,oſculiſque(quorum
Nexus non hedera,mariſque conchę
Vincant) comiter, arbitraque dextra
Firmato:aſpice ut illa nuptiali
Flammeo redimita,gemmeiſque
Floribus nitet: ut ſinus eburni
Pyropis ſimul atque margaritis
Scintillant: roſeo ut genas pudore
Virtus tinxit : ut illius coruſco
Bini lumine fulminant ocelli :
Ocelli,ingenui faces amoris
Quorum ex igne micant,deique replent
Exhauſtam pharetram ſuis ſagittis.
Hanc jungit ſociam tibi alma Cypris:
Pactum obſignat Hymen: brevi audias ut
Robuſtæ ſobolis pater: ſenexque
Parentum ſimiles domi nepotes
Cernas de patria optimè merentes.

Quos honoribus ampla Minda ſummis
Saxonum evehat inter optimates.
Mekelburgica linque rura, Iane,
Tu Petre, Auſtraſii ſolum Moſellæ,
Hermanne, Allobrogis fluenta Rheni,
Atque Hilla Catharina cum ſorore,
Ad fratris thalamos venite curſu
Feſtino: & precibus benè auſpicatis
Strenas fundite: ſic dies requirit:
Sic mos exigit uſitatus inter
Cognatos ſimul & bonos amicos.
Quàm feliciter omnia acciderunt!
Quàm ſe ſuaviter invicem prementes
Baſio unanimes fatentur eſſe!
Teſtanturque reciprocos amores!
Sonet barbitus, & choris juventus,
Et feſtis epulis vacet. Valete
Omnes: nox properat: manu atque voce
Læti applaudite. Voticompotes ſunt,
Qui rem numinibus gerunt amicis.

AD CAROLVM RENALDVM S. Salvatoris Decanum apud Mediomatrices.

PRæſul, quo nihil alta Divoduni
Vrbs videt meliuſve doctiuſve:
Quàm felix mihi tu videris eſſe,
Qui civilibus æſtuante bellis
Gallia, trepidatione plena

Dum ſunt omnia, factionibuſque,
In tantis potis es tamen periclis
Tranquilla ſtudiis vacare pace.
Quàm facis benè, quamque Chriſtianê!
Regi cœlitus arma conferuntur,
Malos ut reprimat, bonoſque ſervet.
Princeps viva Dei eſt imago: cui qui
Se opponit temerariê, reſiſtit
Deo. Quiſque ſuę vocationis
Tractet munia: quamque quiſque novit
Artem exerceat. Omne civitatum
Inſana quatitur rebellione
Robur: iura cadunt, ruitque legum
Majeſtas veneranda: polluuntur
Sacra: barbaricoſque ſacroſancta
In ritus pietas abit. Vidéſne
Quò prorumpere jam licentioſa
Militum petulantia audeat? quos
Diſciplina, nec ulla cura Divûm,
Nulla relligio coërcet intra
Fines officii ſui. Iſte fructus
Eſt, quem ſedicioſa peſſimorum
Gignit mens hominum: impiata quando
Omne per facinus furit: Malorum
Tantorum ô utinam inter eruditos
Nemo præbeat excitetve cauſſas.
Laudo conſilium tuum, quod iſtos
Motus non ſine ſentias dolore:
Illis inſerere attamen neges te.
Sacerdos precibus vacet: Deoque

Fundat

Fundat thura litetque: vel docendo
Inſtruat populum: arma, machinaſque
Sinat Principibus, quibuſque bella
Sunt curæ. Sapit ille qui modeſtê
Res ſuas agit, & periculoſa
Summa tangere vel manu recuſet.
Damnum incuria noſtra ſi inferat, tunc
Stulti eſt dicere, tale nil putabam.

IN CHILONEM.

CEnſuram malè ſanus ille Chilo,
In noſtros tulerat dolens libellos,
Quòd nomen renui his ſuum referre.
Stulti judicis ut levis breviſque
Eſt ſententia. Proh, ait, Poëtas
Tot hæc ſęcula proferunt, quot Hybla,
Quotque Hymettus apes, agri cicadas.
Neve horum ſine laude publicentur
Congeſti innumeris libris labores,
Sibi encomia mutuant. Meliſſum
Boiſſardus vocat omnium parentem
Vatum, Teutone qui vigent in orbe.
Vt gratus videatur, hunc Meliſſus
Laudando vocitat joci magiſtrum.
Audi bellua, tu tuique, quotquot
Audetis temerare nomen ejus,
Eſt qui judicio omnium poëta
Primus, quos hodierna ſervat ætas.
Illi hęc ſcommata non queunt nocere.
Prome: non ego curo quo loco ſim.

Non eſt ambitioſa noſtra Muſa:
Doctrinam mihi vindico nec ullam.
Leguntur tamen & mea eruditis:
Quorum ſuſcipio libens favorem.
Et tam gaudeo diſplicere vobis,
Quàm mihi eſt aliis placere gratum.

AD FRANCISCVM VILLERVM VALVILLARTIUM.

QVid me præcipiti fuga, meorum
Francæ gloria prima Sequanorum,
Hærentem Vogeſi ſubire cogis
Opacis nemus horridum tenebris?
Armis Bætica ne phalanx Iberis,
Belgis Oenotriam petens relictis,
Incautum opprimat. Hoc tibi eſſe curæ
Singularis amor jubet, fideſque,
Qua me proſequeris. Vale ergo, meque
Expecta interea foris manentem.
Non tanti fuit aureis arenis
Squalens ripa Tagi: nec ipſa aquoſum
Quæ torum occidui tuere Solis
Ferox Hiſpali, vallis ut relictis
Villæ mœnibus, & meis amicis,
Deſertis Vogeſi locis laterem.
Parendum tamen eſt neceſſitati.

AD FERRVCIVM NODINOtum, Eccleſiæ Montis-aurei Præfectum.

FErruci, iuga ſumma Montis-aurei

Qui

Qui colis, nivea infula revinctus
Frontem: quam decuit nitente mitra
Cingi, aut Caſtalia tegi corolla.
Iam jam temporis eſt ſatis tributum
Muſæoque ſacræque lectioni:
Relaxare animos amœna veris
Hortatur facies, fruique cœli
Tam miti & placida ſerenitate.
Flore vernat humus, ſolumque picto
Surgit gramine: frundiumque denſa
Vmbras congerie nemus miniſtrat.
Polo Tyndarei imperant nepotes
Blandis ſideribus: benignaque aura
Mollis aëra temperat Favoni.
Da Muſis aliquam tuis quietem:
Et vita útere commodis: nec ante
Diem accerſe laboribus ſenectam.
Linque opaca tui vireta montis,
Inſtructumque operoſiore ſumptu
Delubrum, & Superis placēs ſacellum.
Boiſſardo alloqui horulam roganti
Indulgeto: ſodalibuſque, vallis
Qui ſubjecta tenent roſeta villæ.
Phœbæi magis eſt canora plectri
Vox, dum fila remiſſiùs movendo
Chelyn ponere Delius videtur.
Sic jucunda magis futura vita eſt,
Si curis gravioribus relictis,
Recrees genium tuum, leveſquē
Serias aliquo otiò Camœnas.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI Hendecaſyllaborum.

LIBER SECVVNDVS.

AD MVSAM.

MVSA, quò properas? mane Thalia:
Mane, inquam: o retine, Thalia, greſſum.
Galla es, ſat video: ruis ſine ullo
Præceps judicio, favore abuſa,
Quo te eſt ingenioſus ille Princeps
Viſus excipere, & tuas probare
Nugas. Sit licet otioſus ille,
Mole nec gravida negotiorum,
Quæ reſpublica parturit, prematur:
Mavult otia fructuoſiora,
Quàm diſperdere tempus hac legendo,

Quæ

Quæ ingeris ſtolidè. Semel ſubiſſe
Ejus atria clara gratioſam
Multum eſt. Audiat impudens neceſſe eſt.
Qui ſervare modum nequit: ſed audax
Fortunæ temere experitur orbem.
Nam cum Principibus periculoſa
Res eſt ludere: tutiùs coluntur.
Non páres? ſed iter licenter ornas?
Quòd fortè Hendecaſyllabos priores
Arriſiſſe putes. Satus ſuperque eſt
Huic non diſplicuiſſe. Tu cave ſis
Stulti papilionis æmulatrix:
Qui flammę nimiū volans propinquus
Claræ lampadis, in ſolum uſtulatis
Corruit ſubitò volutus alis.
Sic dum Cres puer ad jubar coruſci
Solis tendit iter volante penna,
Nec ſalubria Dædali parentis
Audit dicta, repente ad ima lapſus
Nomen Icariis dedit procellis.
Sed nil proficio: nec iſta cordi
Sunt exempla tibi. Ibis ergo, tuque
Cultam ad Principis aulā iter capeſces.
Amœnum vitreus ubi Bipontum
Lymphis Laura rigat: benignaque ora
Patris Caſtalii chori ſubibis.
I fauſtis avibus, Thalia: Divis
Debitam reverentiam exhibendo,
Geſta non niſi re optimè redibis.

AD ILLVSTRISSIMVM POTENTISSIMVMQVE Principem

IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariȩ, Comitem in Veldens & Sponheim.

IMPVDENS tibi forſitan videbor,
Servandique parùm memor decóri,
Si, me Caſtalio ebrium liquore
Inſano quoties movebit œſtro
Entheus furor, impetu citato
In tuum exonerem ſinum, Camœnæ
Quicquid ex adytis canent recluſis.
Non ſatus fuit hactenus libellos
Tibi obtrudere, nec ſatis politos,
Nec dignos oculis tuis, tuæque
Cenſuræ: en temerarius revertor,
(Princeps quo nihil orbis hic adorat
Doctius moderatiuſve) teque
Nugarum eneco lectione, tantùm
Saturnalicis diebus apta.
Dum torpet rigido gelu december:
Et canet nivibus refuſa tellus:
Foris ſtiria crebra, frigidique

Perſtre-

Perſtrepunt boreæ, & graves pruinæ
Nos cogunt hypocauſta, vel caminos,
Aut ſtructis loca temperata flammis
Servare. Heic genii quietiores.
Et curis gravioribus ſoluti
Indulgent epulis, choris, jociſque,
Eburnique levi alea fritilli.
Tunc tunc hæc poterunt legi, otioſæ
Si des dimidiam horulam Vacunæ.
Quę ſi lecta probes, nihil morabor
Quid effutiat imperita vulgi
Turba, aut judicio improbè ſuperbo
Tumentes ſcioli, graveſve Momi.
Inſtar omnium eris mihi. Perampla eſt
Docto gloria Principi placere.

AD GENEROSOS ADOLEſcentes Ioannem, Caſimirum, & Othonem, illuſtriſſimi Herois Othonis Ringravii filios.

PRopago generoſa magni Othonis
Iane, Otho, Caſimire, qui paternum
Pectus indole nobili refertis:
Claro ſtemmate originem parentum
Pulchrum eſt ducere, pulchrius parentum
Virtutes pietatemque æmulari.
Non non eſt ſatis obtinere nomen
Illuſtre in patria: imperare multis
Teutonum populis: opes, honores
Semper obtinuiſſe non ſecundos,

Nî digni his videamini: Sed eſſe
Dignos qui negat, is neget neceſſe eſt
Se cognoſſe bona educatione, &
Naturæ melioris inſtituto
Quàm multos ſuperetis: ut laborum
Veſtra ſit patiens juventa: ſive
Tractare arma juvet, leviq; ſaltu, aut
Curſu vincere: ſeu feros volucri
Gyro flectere equos. Sed his Gradivi
Cùm vobis placet abſtinere ludis,
Et Muſis & Apollini vacare:
Quàm ſuavi harmonia manu atq; voce
Concinnum exprimitis melos! dieſque
Totos in ſtudiis gravis Minervæ
Labore ut toleratis obſtinato!
Euge progenies Deorum: honore hoc
Sic ſic itur ad aſtra: ſic reverti
Præſtat in patriam probè expolitos
Vita, moribus, eruditione.
Tunc Oteilia mater, & ſorores
(Quas forma egregio decore culta
Comparat Venerique Gratiiſque)
Vos per oſcula mille ſuaviabunt.
Vos avunculus, ille clarus Heros
Quē Naſſauvia ſtirps tulit, Philippus
Amplectetur utriſque lætus ulnis.
Felicemque ſuam aſſeret ſororem
Tam pulchra ſobole, & benè inſtituta.
Et quando ad Venetos levi carina
(Si quando Italiam libet videre)

Tranſve-

Trânſvecti, aurea tecta Contareni
(Qui ſe a Ringraviis venire jactat
Ante ſęcla novem) ſubibitis, tunc
Toto pectore vos ſimul fovebit.
Gratis officiis juvabit: atque,
Vt conſanguineum decet, ſtudebit
Ne pars officii ulla relinquatur,
Qua vobis queat omnibus placere.
Vobis conferet omnia iſta Virtus:
Virtus nobilitatis atque honoris
Cauſſa pręcipua, unicusque fomes.

AD HENRICVM SVEBERVM I. C. Ioann. Com. Pal. Ducis Bavar. & Biponti Cancellarium.

VOtis deerat adhuc meis, & illud
Omni ſpe magis arduum, favorem
Nempe ut officiis tuum, atque amorem,
Vir clariſſime, promerere poſſem.
Sat noram quibus uſque es impeditus
Curarum ſtudiis: negotiorum
Quæ moles humeris tuis recumbit.
Dum forenſibus ęſtuas ſub armis:
Dum jus omnibus æquitate juſta
Reddis, & patrię juvas quietem.
Quod Pandioniis Solon Athenis,
Atridæ gemino quod ille Neſtor,
Quodque Nicomacho ſatus potentis
Amynthæ Æmathio fuit nepoti

Principi hocce tuo es, fuiſti, eriſque.
Per te Aſtræa ſuas Themiſque leges
Sincera populis librant ſtatera.
Per te abeſt patriâ illa trux Enyo,
Quæ civilibus incitata Gallum
Divexat Furiis, ſuo inſolenter
Gratantem exitio, & ſuę ruinę.
Per te ſacrilegę procul cohortes
Prędonum ſolitas agunt rapinas.
Per te ſupplicium mali, bonique
Ferunt præmia: filios, nepotes,
Vxoresque, domoſque, opeſque partas,
Atque prędia poſsident coloni:
Secureq́; Deum colunt, & aras
Sacro thure adolent, tibique partam
Acceptam referunt ubique pacem.
Has inter tamen occupationes,
(Quis te illis vacuũ notabit unquam?)
Nugis putidus obſtrepo licenter.
Sed bonus venia inſolentiam iſtam
Si dignaberis, aſſequar citò illud,
Quod ſpei ſupereſt meę: ut recurret
Quando occaſio tædii levandi,
Huc vertas oculos: brevemque librum
Oblatum tibi perlegas. Sed heus, quò
Inſulſus feror? ſi tibi libelli
Vna pagina, vel duæ legantur,
Imo dimidia, aut nihil: modò æqua
Fronte ſuſcipias feraſque munus,
Mecum actum benè ubique gloriabor.

AD ODOARDVM BIZETVM.

OBlitum officii ſilentium me
Tam longum argueret, niſi tibi eſſem
Dudum cognitus. At mihi dolerem id
Cum offenſa attribui tua. Fatebor,
Dum ſuperſtes ero, & quidem libenter,
De me te meritum optimè eſſe. Nolem
Tamen propterea ſubire turpem
Notam ingrati animi: biennio uno
Quòd nullis tibi litteris ſalutem
Scripſerim: accidit, occupationes
Propter, queis ſimiles mei gravantur.
Vixi huc uſque ſine anxio dolore
Curarum: neque pectoris ſub imo
Mordaci trepidum æſtuavit olim.
Cor avaricia, tuis, Apollo,
Intentum ſtudiis. Mihi vagari
Libero eſt Heliconidum per antra
Conceſſum, Idalium antequam lupatum
Frænato exciperem ore, cælibatu
Lętam ſuaviter exigens juventam.
Tunc Phœbo ſacer audii, atque amicus
Muſis: tunc cecini exaranda cedro,
Et Parnaſſide vincienda lauro.
Nunc tædas Hymenęus ad jugales
Adactum, ſubigit, domeſticarum
Preſſum pondere ſub negotiorum:
Inſuetis etiam vacare rebus.
Pro libris mihi liberi efferuntur:

Pro Phœbo alma Ceres, merique Bacchus
Inventor colitur: pigetque carum
Vana impendere ſcriptione tempus.
Hęc me ergaſtula detinent, ſimulque
A dulci ſtudio avocant, vetantque
Me fungi officio, quod eſſe amicis
Sacrum debet. At hactenus videbor
Si peccaſſe tibi diu tacendo,
Boiſſardo veniam dabis, virorum
Præſtantiſſime: diligentia qui
Culpæ quicquid erit reſarciet. Tu
Me tui ſtudioſum & obſequentem
Dilige interea, & tibi dicatum.

AD NICOLEAM ET LOIDEM
Viennæas, Claud. Antonii Baronis Clerevantii, &c. Filias.

NImphæ magnanimo ſatę parente,
Regum progenies (priore ſæclo
Quos Arar Rhodanuſque, quoſque flavus
Senſit Sequana) quas diſerta Pallas,
Quas Cypris Charıteſque, & ales ille
Puer dotibus omnibus, ſuiſque
Gratiis cumulant: Severiore
Si quis judicio rigens, libellum hunc
Viderit, preciumque ſi æſtimarit,
Frontem contrahet illico, arguetque
Me tanquam fatuum, quòd hoc volumen,
Virtuti minùs amplitudinique
Veſtrę conveniens, tamen dicatum

Tantis nominibus velim & ſacratum.
At qui tam tetrico tumens notabit
Me ſupercilio, ſciat mihi eſſe
Scopum hunc propoſitum, ut queam placere
Vobis: nec tamen inſcium eſſe quantis
Vos virtutibus auxerit Minerva.
Non ſolùm artibus his, quibus puellæ
Incumbunt, ut acu exprimatis omne
Quod docti artifices imaginari
Sive ſtamine, ſeu colore poſſunt:
Sed ſimul ſtudiis ſcientiarum,
Queis pridem ingenia expolita habetis.
His ſi congrua ſeligenda nobis
Eſſet materia, ocyus fatiſcam.
Sed quicunque tamen labor ſit iſte,
Si vobis placeat, ſatis ſuperque
Adprobabitur omnibus. Sed illum
Vobis quis neget eſſe jam probatum,
Quem veſtro imperio aggredi pararim?

PERONAE GERESMIAE LIGNEVILLAEAE.

ILluſtris ſoboles Gereſmiorum,
Et tuę columen Perona gentis:
Felix nominibus Perona multis:
Sed hoc nomine maximè beata,
Quòd Riam potis es vocare fratrem.
Riam, ſoſpite quo futura ſoſpes
Eſt Burgundia, tu, tuique, ègoque.

Riam denique, cui Dei Deęque
Favent, & geminæ illius ſorori:
Vt te carmine Muſa delicato,
Minuto, lepido, brevi, faceto
Salutem jubet, imprecerque quantum
Solent ſidera ferre gaudiorum:
Quot fortuna vehit ſecunda honores:
Quot Pactolus opes Tagique ripę.
Non perplexum animum, ſalubre corpus:
Cumęam & Pyliam ſimul ſenectam.
Votorum quoque particeps meorum
Ne excludar, tibi ſim (ut fuique ſumque
Carus) carior uſque & uſque. Sanci
Iſthęc: Iam rata ſunt. Io triumphe,
Quæ conceſſa mihi eſt beatitudo!

SABINAE AMORALIAE MARCI A RYA FILIAE.

NYmpharum unica, quas fluenta Perbę, &
Lentè fuſus Arar Dubiſque flavus
Vt Deam coluere, congerentes
Cunis parvulę amaracum roſaſque,
Thymum, lilia, & albicans liguſtrum.
Quam blandę Charites, Venuſque, Amorque
Pulchritudine, gratiis, boniſque
Naturæ omnibus expolitam amarunt:
Et dici voluere Erotionta.
Queis te nominibus beatiorem
Cenſebo? an quòd habes Riam parentem

Illum,

Illum, heroica cujus orbe toto eſt
Virtus cognita? Cęſarum trophęis
Qui æterno referens honore famam,
Immortale decus ſibi tibique,
Et genti patriæque comparavit.
An quòd matre Rageriâ educata es?
Matre, gloria cujus alta cœli
Aſtra implevit: an æmulus paternę
Amplitudinis uſque quaque quòd ſit
Germanus tibi? vel quòd bis relictus,
Quæ tu externa putas, velis honorem
Dotibus ſtruere ex tuis tibi. O quàm
Iuſtum judicium eſt puellæ! & æquâ
Libratum trutinâ! Tamen juvare
Hæc domeſtica ſunt potis. Bonis nam
Externis propria adde: ſic modo omni
Perfectiſsima laus tua eſt futura.

AD PAVLVM MELISSVM.

NOn ſemper fuerat neceſſe noſtram
Malis expoſitam ratem procellis
Suſpendi dubios maris per æſtus.
Non ſemper fuerat neceſſe tanta
Per diſcrimina Syrtiumque arenas,
Per cæcum Euboici vadum Capharei
Triſti inſiſtere navigationi.
Tandem mitior intuens Deus me
Exemit tumido vagum profundo:
Et tuto ſtatuit, Meliſſe, portu.
Iam nihil querimoniis relictum eſt:

Spes votis mea jam ſuis potitur.
Nunc plenis mihi meßis eſt maniplis
Conceſſa, & meritis repenſa merces:
Merces digna laboribus peractis.
Ille Antonius, ille Sequanorum
Qui regum a ſerie genus trahendo
Per tot ſtemmata nobiles Viennas
Avis annumerat ſuis, quotannis
Libellas mihi de ſuo trecentas
(Quantum Rupipoſaus ille quondam
Tuo Scaligero dediſſe fertur)
Legavit, meritam rudem otiumque
Largiens, liceat mihi ut Camœnis
Vitę quod ſupereſt dare & quieti.
Nunc me nullus Hymē Venuſq; nulla
Tota ſollicitant die, anxiiſque
Curis pectora vellicant, nec ullum
Libertas mea jam feret capiſtrum.
Nil deinceps mihi erit, Cupido, tecum:
Nec flagrantibus hinc & inde tædis
Adſtantes thalamis meis puellę,
Et chorus juvenum manu atque voce
Applaudent, & ïo jocis novello
Alternis recinent Thalaßioni.
Nulla erit fateor toro jugali,
Quæ me blandiciis amans retentum
Suis detineat, domeſticęque
Rei quę ſatagat, neceßitati
Noſtrę ſubveniens, juvetque ſumptu,
Nec mî filiolus futurus hæres,

Collum mollibus implicans lacertis
Libabit tenero oſculum labello.
Nec prompto obſequio nucem pyrumve,
Vel blando ceraſum ambiet cachinno.
Sed moroſa mihi nec imperabit
Vxor, jurgiaque in dies & horas
Non movebit, inertiamque verbis
Malis arguet, algidumque duro
Pulſabit cubito. Nec æſtuabo
Turpi avariciâ, undequaque lucra
Captans, conjugis ut meę cupido
Expleri queat, ultimâque natis
Grande a morte peculium relinquam.
Vitâ cęlibe litteris vacando,
Poſthac abſque moleſtiis beatos
Dies exigam: & a fori remotus
Tempeſtatibus aulicisque fumis,
Rus ſine invidiâ colam, boniſque
Naturæ variis fruar, ſub umbrâ
Molle concipiens melos. Canentem,
Tuos glauce Dubis peroſe cives,
Non laudabis: erit Moſella, qui me
Sacra timpora pampino revinctus
Amplectatur ametque: gaudeatque
(Vt quondam Auſonij lyram poëtæ)
Sic meam quoque comprobare Muſam.
Bona hæc omnia dulciora reddent
Iuncti perpetuâ fide ſodales
Clemens & Lepidus, meæque mentis
Major portio qui fuiſti eriſque

Paſchari Auſtraſiæ perenne ſidus.
Quòd ſi me tibi, vel mihi dediſſet
Te vicinia, vivere arbitrarer
Deorum ſimilem, Meliſſe, vitam.

AD LVDOVICVM MALARMAEUM VESUNTINUN Iuriſconſultum.

ANtiquiſſimus es, fuiſti, eriſque
Dum vivam, atque ſodalium meorũ
Dilectiſſimus: & tuum Iacobum
Amas, & redamaris a Iacobo.
Sed fortuna duos iniqua amantes
Per tot tempora lapſa ſeparavit.
Quid prodeſt parili favore vinctos
A primis animos fuiſſe cunis?
Conſtantique labore per tot annos
Servaſſe inviolatum utrinque pectus?
Si nos fata velint abeſſe ſemper:
Nec complexibus, oſculiſque jungi:
Atque bis colloquiis, quibus dies ſit
Integer brevior, quibus ciborum
Cedat & placidi cupído ſomni.
At contraria ſint tibi mihique
Quamvis ſidera, ſorſque non ſat æqua:
Noſque ingentia ſeparent locorum
Intervalla licet, tamen neceſſe eſt
Boiſſardum Ludovico amore ſummo
Vſque ad funera nigra copulari.

AD TOBIAM HOMBERGERUM HESSUM. I. C.

Homber-

HOmbergere Helıconis almi alumne,
Phœbo care & Hyantiis puellis:
Ingens eſt mihi congruenſque doctis
Decertatio conſerenda tecum.
Non de Caſtalii canore plectri:
Non de doctiloquæ nitore linguæ:
Non de his artibus, & ſcientiarum
Arcanis, ſtudiiſque, quę ſecundum
Te nulli eſſe ſinunt, ſed anteponunt
Multis: in quibus ut tibi ipſe cedo,
Palmam ſic tibi defero libenter.
At contentio reſtat altera, in quâ
Nec cedam tibi, nec dabo ipſe palmam.
Hanc in pectoris intimo receſſu
Conceptus meritis tuis amor nunc
Protulit gravido ediditque partu.
In hoc nemo quidem repertus antè
Qui ſe prętulerit mihi, nec ullus
A quo victus eam futurus unquam eſt.
Certa pignore quo voles, mei ecce
Propono ſtudii fidem, obligóque
Boiſſardum tibi poſſidēdum in ævum:
Tu ſiquid melius probatiúſve
Si laudabilius, magíſve dignum
Viro poſſideas bono, exere, atque
Produc in medium. Eligatur inter
Nos idoneus optimúſque judex:
Quo lis hęc dirimatur, atque bellum,
Non arcu, aut Balearicis habenis,
Nec ferro Chalybum rogis recocto:

Sed curâ, atque animis fidelitate
Inſtructis, & eis (decere poſſent
Quę Ægiden, Strophio, Hyrtacoque natos)
Sincerę officiis benignitatis:
Et candore, & amore tranſigendum.
Noſtra tempora, poſterique juſta
Diſcernent trutina, atque judicabunt,
Vt Boiſſardus amet ſuum Tobiam:
Vt Boiſſardon amet ſuum Tobias.
Dj boni, fuit, eſt ve, vel futurum
Hoc magis quid amabile eſt amore!

AD PANTALEONEM CANDIDUM, ECCLESIAE BIPONTINæ præfectum.

TOlle Candide, tolle, tolle Phœbum:
Tolle Pieridaſque & Hippocrenen:
Et quicquid valet eruditionis.
Quid vanos ſequimur pede æſtuante
Muſarum titulos, juvatque vates
Vocari, & populi per ora ferri,
Atque inutilibus vacare libris?
Sunt vaniſſima nomina hæc: opes ſunt
Lucrandæ, quibus omne continetur
Punctũ: In his favor eſt, honoſq; & omnis
His ſita eſt hominis beatitudo.
Virtus paupere ſub lare alget, eſtque
Per ſe frigida, corporiſque opaci,
Lunę inſtar (radioſa mutuato
Quæ fit lumine ſolis) iſta ut

Nî

Nî ſolaribus emicet coronis,
Furvis obſita delitet tenebris.
Cur me Fulvia noluit maritum?
Credidit reditus mihi eſſe curtos.
Mores illa meos probabat: imo
Dotes corporis ingenjque noſtri,
Et, qui pectore candido vigebat,
Mirata ingenui faces amoris,
Prætulit me Italis ſuis frequenter.
Venit alter homo rudis, nec ullis
Excultus ſtudiis, ſenex, caducus,
Turpis, ſed locuples: morâ ſine ullâ
Ille admittitur, atque me repulſo,
Heu, prædam obtinet ille, me nec illo
Dignam, Principe ſed, ſatoque Divis.
Opes prævaluere: litteratum
Neglexit, licet erudita bellê,
Et prudens. Neque enim putabis abs re
Factum: Divitias gradu priore
Noſtro tempore cogimur locare:
Virtus porrò ſequetur, aut relicta
Inter Philoſophos diſerta laudum
Dabit themata garrulæ juventæ:
Præturis ea conſulatibuſque
Nunquam obnoxia, & a fori cathedris
Exſul. Nec pietas valebit ulla,
Deſtituta opibus: ſaluſque noſtra
(Si fas credere) certius paratur
Crebris muneribus gravis crumenæ.
Laus omnis, decus, æſtimatioque

Abſque divitiis inane tantùm
In ſe pondus habent: nihilque præter
Vanam, Candide, ſomnii inſtar umbram
Poſſeſſoribus exhibent: at illos
Claros & celebres & eruditos,
Bonoſque arguo qui bonis abundant.

AD RAGVSSVM BLAEVIVM HYDRUNTINUM.
De forma Fulviæ Lætæ.

PIcturus Venerem, Raguſſe, Cous,
Vt claram meliùs juvaret artem
Naturę auxilio politioris:
Gręcis omnibus adnotavit illud
Quod perfectiùs eſſet in puellis.
Hinc abſolvit opus, quod ipſe pictor
Vitam ducere ſæpius putavit.
Florentinus idem eſt iter ſecutus:
Qui picturus imaginem Minervæ,
Quam prò Flaminiis videmus hortis,
Omnem ex Italiâ legit lepórem.
Flavum Antennoreæ nurus capillum:
Turritęque oculos dedêre Senę.
Dentes Parthenope: Ravenna collum:
Et pectus Venetæ: Bononia aurum,
Quod pulchris redimiculis refulget,
Vt Ferraria dat manûs decórem,
Sic Verona ſuum venuſta cinctum
Largitur. Probat arcta Luca ventrem:
Lumbos Piſa ſalax: Femurque plenum

Viter-

Viterbum: teretes Savona ſuras:
Candenti Ligures pedi nitorem:
Inceſſum tribuit ſuperba Roma.
Ex his omnibus abſoluta virgo,
Impenſis gravibus, labore longo.
Sed quid, Pallas ait, Venuſque, tantum
Intentaſtis opus? dediſſet una
Vobis Fulvia quod foret neceſſe.

AD PAVLVM MELISSVM.

SCriptura niſi noſtra fulciatur
Fides, debilis hinc & hinc vacillat
Incerto pede: & hereſis vocatur.
Hinc tam multiplices ubique ſectæ
Doctrinæ numerant ſuæ magiſtros.
Inter quos locus eſſe Chiliaſtis
Fama eſt: ſomnia mille qui docent de
Mille annis. Igitur, Meliſſe, dic quid
De Philone tuo tibi videtur?
Nonne erit tibi jure Chiliaſta?
Aureos ſibi mille qui putavit
(Pactos nempe ſuo antea labori)
Solvendos. Fatui fides redacta eſt
Iam pridem in nihilum: quòd illa nullam
Syngrapham indicet, unde comprobetur:
Abſque crimine culpa conſtat: at quæ
Riſum non odium magis meretur.
Millenarius eſt potis vocari:
Sed non deſinit eſſe Chriſtianus:

AD NITIDIVM PANERVM SALINATEM.

SLavata intimus eſt meus: coloque
Hunc tanquam dominum. Ad tuas Salinas
Quando venerit, & domo paterna,
Et vultu excipe quàm potes ſereno.
Aut ſi maluerit rubri galeri
Hoſpes eſſe, operam dabis colatur
Omni ſedulitate: namque dignum
Reddunt officiis tuis abunde
Dotes ingenii, & nitens quod illum
Produxit populo genus Bohemo.
In primis cupiam, tibi tuiſve
Siquid ſit reliqui illius liquoris,
Qui de Arboſiacis fluit racemis:
Seu clivoſa Polychnios rubenti
Exprimat generoſiora prælo
Vina, ut crebra refert ubique fama:
Sive quid melius tuæ Salinæ
Fundant: fac veniant graves metretæ,
Quæ ſcyphos radiantibus pyropis
Fœcũdent. Nitidi, euge: teque ad hauſtũ
Vltro accingito liberaliorem.
Heroem exhilarare ne graveris
Tanti nominis, optimêque de me
Iam pridem meritum. O adeſſe poſſes
Huic, Dhonae ſoli jubar Boruſſi:
Beares ſimul hoſpitemque & illum:
Hunc amplexibus, illum honore, quantò

Boiſ-

Boiſſardus cuperet ſimul beari:
Teſtando dominis ſuum duobus
Devotum obſequium. Sed hoc nequibit
Quod per me fieri, tui ſodalis
Partes ſuſcipe: & hunc quibus licebit
Inventus hilara, juva, cole, orna.
Id quod exhibitum mihi arbitrabor.

AD ALARDVM QVINTVLVM NARNIENSEM. I. C.
De Chilone.

CHilonem ſcabioſum, hiante labro,
Muco cui lita barba, cui ſaliva
Scabris dentibus effluit loquenti,
Quem tu, Quintule duxeris? loquacem
Scurram, nonne? foret leve iſtud: atqui
Pædiconibus eſſe ſe patronum
Paßim jactitat, & gregi cinædo.
Hunc per omnia corporis pudendi
Excepiſſe libidinem irruentum
Vulgatum eſt cava: ſpintriiſque fœdis
Stuprorum graveolentium inquinare
Allectam ſtudio pari juventam.
Cui mos eſt pietatem, & ipſa jura
Palam temnere. & impiis cachinnis
Inſultare Deo, & Dei parentem
Verbis ludere contumelioſis:
Sed moſchum ex olida petes latrina?

AD PETRVM LEPIDVM METENSEM.

PRivamur ſalibus facetiiſque:
Privamur lepidiſsimis cachinnis:
Quos crebrô exhibuit tibi mihiq́ue
Aſtérus meus ille. Sic ſtatutum:
Vrbem deſerit, ut ſcholas celebres
Gallorum petat: Hunc parens uterque
Doctorem fieri cupit. Quid, inquam,
Sic nos deſtitues? tuoque Petro,
Boiſſardoque procul ferere, amoris
Contracti immemor? Abſit hoc, Iacobe:
Quicquid eſt, facio coactus, ac vos
Invitus fugio: Sed eſt neceſſe,
Inquit: Parrhiſios eam, daturus
Liberis operam, jubent parentes.
Hoc ſudore ſcientia eſt paranda:
Sic mos eſt ſenioribus gerendus.

AD MARCVM ANTONIVM VARANUM.

PArce, quæſo, tuum, Varane, amicum,
Parce, oro, dapibus meriq́ue potu
Aggravare: Satis ſuperque factum eſt:
Conſuetudo mihi ſit ampla tecum,
Convivarier uſque tædioſum eſt.
Nolo, inquam, magis ac magis ciborum
Tractari patinis, nec eſculentis
Farciri. Valeant ſcyphi, metretæ,
Cœnæ, prandia lautiore ſumptu.
Res eſt vivere parciùs ſalubris.

Ventre

Ventre ingratius eſt nihil: Quia ipſum
Nunc uſque ad vomitum licet ſagines:
Poſt horas tibi treſve quatuorve,
Immemor tamen omnium, adlatrabit.

IN CHILONEM.

Genus neſcio quod malæ volucris
Roſtro lancinat hos meos libellos:
Inſulſos vocitans & imperitos.
Audi, furcifer: accipe, impudice
Chilo: qui mea polluiſſe es auſus
Dente putido, & inquinatiore
Buccâ. Quid tibi cum meis negoti
Libris? cui neque contigit Camœnas
Deguſtaſſe: nec inter eruditos
Verſari: tamen arroganter horum
Sumis judicium. Tace impudice:
Claude labra ſero notata turpi:
Cenſorem volo caſtiore lingua.

AD PAVLVM CAVALLERIUM. I. C.

Tantus teſtudiorum amor ſubegit,
Vt nocteſque dieſque lectioni
Incumbas, renuens tuæ quieti,
Otioque, rogantibuſque amicis
Indulgere dieculam vel unam,
Librorum helluo Paule? nonne quanto
Colluctata labet vides periclo

Vrbs Antennoris? ut forum ſcholęque
Deſerta pateant? ſituque longo
Fœdentur plutei, lueſque latê
Graſſans in populo furenter inſtet?
Indícatque ſilentium Camœnis.
Dum Piſęo iterum eſt eques theatro
Decurſurus Olympicoque circo,
Addat lauream ut alteram priori:
Non ſemper generoſum equum fatigat
Habenis reſonantibus, nec illi
Subducit ſtimulo rigente calcar.
Sed nolentem etiam, & recalcitrantem
Lupato cobibet: data ut quiete
Reſpirans animos reſumat, atque
Miſſus carceribus volet ſagitta
Ocyùs, Balearicaque funda
Contorta ſilice: ac procul relictis
A tergo fremat æmulis, ſuperbo
Hinnitu aëra repleat, notetque
Optatam pede contigiſſe metam.
Alternâ requie novem ſorores,
Iſto tempore languidas, tuumque
Ne frauda genium, nimis ſeverê,
Hærens propoſito in laborioſo.
Nî te Moſchopuli tenent diſerta
Suo nectare collocutiones,
Actęaque vigens loquela lingua:
Nî Cretes (tibi Victor atque Bozza,
Fide perpetuoque amore iuncti)
Diſceſſu impediant: veni ſecundo
Ad nos

Ad nos Medoaco: veni ſodales
Viſurus veteres, tui videndi
Qui deſiderio æſtuant: dieſque
Nobiſcum heic aliquot moratus, inter
Frundoſa Euganeę vireta ſilvę
Oblectando animum, ad tibi cupitos
Libros rurſus alacrior redibis.
In magnis quia rebus arduiſque
Neceſſaria ſemper otii atque
Laboris ſimul eſt viciſſitudo.

AD IANVM AVBRIVM Trecenſem ſocerum ſuum.

NAturę æmule diligens magiſter,
Fabrûm gloria prima Gallicorum,
Eſt induſtria cui peculiaris
Sollerti ingenii ſagacioris
Iuncta acumine: ſed ſuo Iacobo
Arcta amicitię neceſſitate
Longè carior. Huc mihi ſecundas
Tuo nomine quæ mihi precetur
Mittis Iuliolam novas Calendas.
Nec hoc ſufficit: addis optioni
Donum munifico ſodale dignum:
In quo candor amici, opuſque, quale
Myroni, aut Phidię, aut ſuo Lyſippo
Antiqua ars tribuit, videtur: & te
Boiſſardumque ſimul refert metallo.
Conſulto eſt utriúſque iuncta forma,

Vt ſunt juncti animi: æſtimaſque acutè,
Vt eſt, unam animam, unicéque vinctam
Duo pectora continere mentem.

HVGONI DORDONAEO, HIPPOLYTANAE ECCLEſiæ Prɇfecto.

DOrdonæe vigil domûs ſacratæ
Prɇſul, quã Hippolyti colũt penates:
Mihi conciliate fido amore
Tot annis: opis indigus tuæ ſum.
Sodali veteri puſillum opellæ
Ne nega, rogitabo ſi quod æquum eſt.
Ferre munera Chriſtiana mœſtum
Defuncti genitoris ad ſepulchrum
Me jubet pietas, aviſque in uſu
Sɇculis melioribus recepta
Conſuetudo, Quiritiumque ritus:
Verſus nempe, mei doloris, atque
Teſtes officii. At quia immodeſtum
Eſſet, nec licitum, patrare quicquam
In ſacris venia abſque veſtra, amico
Favebis: reliquiſque promptus auctor
Symmyſtis fueris, tholo ut ſacræ ædis
Fixa pendeat hæc tabella: per quam
Poſtremis cumulare ſera donis
Diſcat poſteritas ſuos parentes.
Sic mihi pietate opus, ſimulque
Dignum amicitia tua relinques.

IN CLAVDVM HOMVNCIOnem Clavennatem, qui per Alpes iter facientem hoſpitio excluſit.

Obſcœni faciem gerens Priapi
Claude, lurida cujus occupavit
Livor ora, tuo quis æſtimabit
Guttam in pectore ſanguinis latére
Humani? Hercule nemo: nemo, nî cui
Deſit judicium. Quid, oro, cauſſæ eſt,
Cur nos hoſpitium in tua rogantes
Vrbe, panè laboribus viarum
Fractos, atque gravi gelu rigentes,
Noctis tempore frigida, arroganti
Excipi petulantia negaſti?
Quòd nî tunc pia comitas Lumagi,
Tantorum miſerata tædiorum
Molem, nos laribus ſuis repulſos
Cepiſſet, dubio procul periclum
In præſens erat omnium redacta
Vita. Barbaricam malignitatem eſt
Civium melior, ſed & minor pars,
Deteſtata. Alii quidem improbabant
Nutibus: tua pertinacia omnes
Evicit tamen. O cani trifauci
Devotum caput, es ſatus cruenta
Tigri, non homine: & parens abortum
Informem horruit, Alpiumque juſſit
Exponi alitibus. Sed ut ſiniſtra
Semper ſors mala promovet, fluenta

Ad Męrę bibitura venit urſa,
Vbi inter ſilices biante rictu
Pro molli ubere ſaxa, glareaſque
Sugebas. Olido luto volutum
Portentum fera vagiens refugit:
Hanc licet rabies fameſque miris
Vrgerent ſtimulis. Tamen reverſa
(Invitam Stygia impulit Megera)
Monſtrum ſuſtulit ominis nefandi
Adſpelęa cacuminis nivoſi.
Quæ lunę radii, jubarque ſolis
Nunquam conſpiciunt, nec aura molli
Perflat temperie. Heic tibi acta vita,
Inter rudera montium, tuęque
Naturæ ſimiles feras: peractam
Ibidem quoque præſtitiſſet. Ortu
Mara non gemeret tuo: nec eſſet
Cur Clavenna apud exteros tui ergò
Audiret malè. Di Deæque deinceps
Mentem dent meliorem. At hi negent ſi
Hoc donum immerito, negent & ipſi
Vitam inter populi tui ſalebras
Poſthac ducere: Sed domo paterna
Extorris, fugias vagus: nec adſit
Qui pręſtet profugo hoſpitalitatem.

AD MAERAM FLVVIVM, Pleurium, Laurentis Lumagi patriam interſecantem.

MÆra, qui latices tuos ſonante

Fundis

Fundis gurgite, Pleuriumque amœnam
Laurentis patriam alluis Lumagi.
A quo comiter, hoſpitaliterque
Excepti, nivibus geluque ſævo,
Et labore refecimus viarum
Fracta corpora, barbaramque claudi
Clavennatis inhoſpitalitatem
Evitavimus, arrogantiamque.
Felix, nî tibi per rudes ſalebras
Clavennæ peragendum iter fuiſſet.
Pleuriumque foret nimis beatum,
Nî vicinia barbara obſtitiſſet:
Sed non deſinet id tamen beatum
Eſſe, dum ſimiles ſui Lumagi
Cives proferet: atque, Mæra, felix,
Dum fuſis liquidæ vadis procellæ,
Pleurij mediam ſecabis urbem.
Dj, quorũ arbitrium alpium eſt, perenni
Vrnâ dent tibi aquas, viam nec unquam
Cænoſo facias volutus alveo.
Cinctus undique ceſpitum vigore,
Leni murmure glareas rotando,
Illimis vitreis feraris undis.
Conſervent quoque Pleurio Lumagum:
A quo comiter, hoſpitaliterque
Excepti ſumus, arrogantiamque
Evitavimus, impiamque claudi
Clauennatis inhoſpitalitatem.

AD PETRVM FRIDERVM MINDANUM.

COmpagem ætherei rotundam Olympi,
Diverſaſque micantium figuras
Aſtrorum vigili labore pinxit
Eudoxi ingenioſa dextra: idemque
Tractavit ſtudium erudita magni
Hipparchi manus. At ſuum ex utroque
Librum Phænomenum Cilix Aratus
Deſcribens, hodierna ad uſque famam
Vexit ſæcla ſuam. Celebre nomen
Virtus nempe ſuis parit: tibique
Æternum decus adſtruit, Fridere:
Quo dignum quoque te exhibes, Aratum
Lingua qui facias loqui Latina.
Et noſtris tribuas ſcholis legendum.
Gratiam tibi debet haud minorem
Ille Afer Dionyſius, diſerto
Terras carmine qui notavit: atque hunc
Verſu reddere dum pereleganti
Studes, quàm benè reddis, exprimiſque
Argivum Latia melos Camœna!
Quippe ſic juvat optimê mereri
De Muſis. Agedum, Fridere: ſic te
Innoteſcere poſteris decorum eſt.
Nulla laus diuturnior manet, quàm
Quę Virtute paratur: ingenique
Felicis monimenta docta linquit.
Merces redditur ampla litteratis,
Horum dum comes eſt honos labori.

AD IOANNEM ESCHFELDIUM ANGLUM:

Quid

Quid eſt? quod ſimulac mihi es relictus:
Nec planè ex oculis meis amœnum
Sublatum eſt Tigurum, lacûſque ripa
Novem ſacra ſororibus, repente
Æſtuat mihi pectoris ſub imo
Cor, & mœſtitiâ intimæ medullæ
Liqueſcunt: & iter, quod antè gratum
Te fuit comitante, nunc videtur
Durum, & difficile, & labore plenum.
Iſtud omne modeſtię, atque amori,
Eſchfeldi, tribuam tuo neceſſe eſt:
Totum qui tibi me dicavit. Hujus
Nî memor fuero, ſuperſtitem me
Dum volent Superi, Alpium nivoſa
Rurſum trans juga deferar, viâque
Longâ languidus, & gelu tremiſcens,
Clavennam veniam tenebricoſæ
Noctis tempore, nubiloque cælo:
Occurratque iterum retortus hoſpes

IN IMPIVM.

Barbarum facinus, nefaſque dirum,
Impiumque magis Neroniano,
Inter Cannibalas, Scythaſve nunquam
Auditum accidit. O Dej, Deęque,
Terręque, & maris, & poli nitentis
Huc convertite lumina, & videte
Quę tellus foveat, feratque monſtra.
Ecce diſcipulus ſuum magiſtrum,
Magiſtrum ſapientem, & eruditum,

Optimê meritum impius necavit
Parricida: fere ab meo ore nomen,
Nomen excidit execrandum, & ipſis
Devotum Furiis. Negare factum
Audes, perdite? publico relatu
Vulgatum in populo. Semel ſolutam
Mercedem ſcieram necis patrandæ:
Quod ſicarius, id Deo volente,
Diu non potuit tacere. poſtquam
Res ſecus cecidiſſet ac volebas,
Vt ſcelus ſceleri adderetur, illum
Tectâ proditione vendidiſti.
Prætextu obſequii peregre abactus:
Vbi in compoſitas loco remoto
Lapſus inſidias ruit: ſed ille
A te veniit, antequam veniret
Illum ſors inimica quò vocavit.
Nec ſatis, ſcelerate, credidiſti
Eſſe, ſontem animam viri innocentis
Inquinaſſe cruore, amarulentis
Nî defuncti oneres probris ſepulchrum.
Nō poſt ſanguinea, & propinqua fata,
Infeſtis tibi Manibus, Deiſque,
Expectanda quies, leviſque tellus,
Vernanteſque croci, roſa, & liguſtrum:
Nec ver perpetuum. Sed angue torto
Stridens Tiſiphones manus, truciſque
Orbis Tantalidæ, aut adunca roſtra
Alitis Titium vorantis. At te
Antequam excipiat pavendum olentis

Cocyti barathrum, manet priùs te,
Quæ rupto horret adhuc cruenta ventre
Matris, vipera, ſimiuſque, & unâ
Tecum gallus ut inſuatur, ac te
Diris omnibus obrutum, in profundum
Indignante vado rotet Somella.

AD IANANTONIVM VCELINUM MEDIOLANENSEM.

De morte Faini.

COmmunis jacet, Vceline, amicus:
Communes lacrymæ tuis meiſque
Fluant luminibus. Iacet Fainus,
Fainus meus ille, carior qui
Theſaurus mihi erat meis ocellis.
Ah ah, óccidit, Vceline, nobis
Dilectum caput, & ſuis amicis
Luctumque & gemitus cadens reliquit.
Illum non pietas, fideſque ſanctê
Servata, ingenuuſque candor, aut quam
Nobis præſtitit hoſpitalitatem
Tutari potuere: nec virilis
Virtus Dalmaticis probata bellis:
Non Corinthiaco ſinu Getarum
Claſsis merſa, vel ad Cyprum triremes
Fuſę: aut poſtmodo Gallico furore,
Longo ad mœnia Pictonum natatu
Trajectus Clanio, hoſtiumque turmę
Eluſę tacitæ ſopore noctis:
Aut motus pavidæ metus Toloſæ.

Quę ſi ſingula nil opis tulerunt,
Saltem debuerant ſimul juvare.
Nil curę hęc Superis: bonus, maluſque,
Prudens, ac fatuus, puer, ſenexque:
Et reges moriuntur, ut coloni
Agrorum. Ætherea fruamur aura
Dum licet. Celeri fugit rotatu
Vita: nec didicit maligna cuiquam
Clotho parcere. Namque Di ſine ullo
Nos diſcrimine ſubdidere eiſdem
Fatis. Quippe nocentem & innocentem
Cæca mors rapit, omnibus cruentâ
Falce infeſta. Quid ergo in his agendum
Tempeſtatibus eſt? Deos amore
Summo amplectere: proximoque quantū
Tu potes benefac, obeſſe nulli
Memor: Quodque tibi favore cœli
Vivendi ſpatium datur, ſine ullis
Curis exige, nec fames habendi
Inexpleta tibi auferat ſoporem.
Te, qui mane torum valens relinquis,
Mortuum Heſperus inferet ſepulchro.

AD SCALAS, QVIBVS AD FAINUM MORIENTEM noctu ſe contulit.

Scalæ, quę mihi per tenebricoſæ
Noctis aſtra pedem gradu fideli
Fulſiſtis, facilemque herì ad Fainum
Exhalantem animam viam dediſtis.

Dum

Dum lex lata minaciter vetaret,
Ægros lethifero tumore tactos
Aut contingere, mortuoſve mœſtis
Sepulchris tumulare nî quibus tunc
Commiſſum fuit id negoti: adactus
Sodalemque ſodalis, & parentem
Natus deſeruit parenſque natum.
Tunc per vos licuit tamen pio eſſe:
Vicini paries mihi roſeti
Dum ſaltu ſuperatus eſt volucri.
O ſi nunc medicis liceret herbis:
Ad primum revocare vos vigorem:
Colchorum celeri ſolum carina
Feſtinus peterem: & prece evocatam
Huc huc Phaſida ducerem, priorem
Vobis reſtitui rogans juventam.
Surgeret viridi novata libro
Quercus, glandifero decora fructu,
Frunde luxurians, & umbra opaca.
Quales Chaonio jugoſa luco
Fert Dodona, vel Alpium receſſus,
Aut vaſtum Hercinia nemus: corollas
Applaudens populus, ſacriſque votis
Inſignes tabulas, ſimulque ſerta
Veſtris cerneret implicata ramis.
At cùm Theſſalicis juvare ſuccis
Vos non ſim potis: hoc tamen precabor:
Veſtrum ne caries, putredove ulla
Offendat gravior, ſituſve robur.
Veſtri nec mutilata pars trahatur

Vulcano ſubigenda:ſed perennem
Et palmam, Libanotidemque cedrum
Vincatis. Pietas merentibus ſic
De nobis benè gratiam rependit.

AD MANES FAINI.

NVlli amicus ero, Faine, poſthac
Statutum eſt: animum meum ſodali
Poſthac adjiciam, Faine, nulli.
Tecum cor, animamque ſuſtuliſti
Meam. Iam rigeo magis ſalebris
Clavennatibus, Alpiumque ſaxis:
Dari nunc mihi ſentio ferinam
Naturam, & Scythicis ferociorem
Gentibus: valeant futurum in ævum
Imbelles animi impotentioris
Affectus: mihi pectus induatur
Malis impenetrabile, obſtinatum.
Ego Stoicus, & ſimul videri,
Et ſimul fieri volo: ah coactum
Boni Philoſophum Dei adjuvate.
Vires conſilio date efficaces:
Labaſco: Heic opus, heic opus virili
Mihi eſt robore: ſubvenite preſſo:
Serò opem datis. Hæc fuit ferenda,
Dum candoris eram, tuique amoris
Ignarus, columen meum, meum cor.
Victus ſum: vetus ad jugum retraxit
Per vim amicitia, & potente vinxit
Servum compede: vim ſequor trahentis.

Mundo lumina ſolis auferunt, qui
Vitæ amicitiam negant malignè.
Quâ nihil melius, beatiúſve
Divûm munere, dulciúſve habemus.
Si non deſino te, Faine, amare,
Funeſto lateas licet ſepulchro,
Fidum pectus, adhuc magis magiſque
Te (ſi nunc quoque viveres) amarem.

IN EFFIGIEM ILLIVS, ab Apollodoro Veneto expreſſam.

ILluxit quoties, tuam, Faine,
Propono effigiem omnibus videndam.
Hanc contemplor, amo, deoſculorque,
Hanc laudoque, proboque, judicoque
Mecum velle loqui, & meos labores
Conſolarier, & levare luctus,
Qui meos lacrymis gravant ocellos.
Atque hanc molliciem exprobrare amico,
Quæ meum cruciat dolore pectus.
Hanc evincere me impotentiam vis
Delicati animi, & virile robur
Rurſum aſſumere, ne æſtimationem
Reddam ridiculam vel imminutam.
Quamvis unus & alter ex trecentis
Hęc vix crediderit geri ſine arte
Tributa propriè omnibus poëtis.
Quiſquis more poëtico putabit
Hæc me ſcribere, poſteris relinquam ut

Firma amicitiæ meę,& Faini
Argumenta, fatebor eſſe verum.
Sed qui more poëtico putabit,
Scripto fingere quos fero dolores:
Illum nunquam habuiſſe credam amicū,
Quem dilexerit: aut amore tanto
Sit complexus, ut hunc amo, coloque.
Odi funditus, omnibúſque in ævum
Chilonem ſimul & ſimul Nydartum
Diris devoveo: Tamen precabor
Divos (ſi me odio tenace pergant,
Et probris laniare virulentis)
Ne tractent graviùs duo illa monſtra:
Sed meo ſimili dolore vexent
Chilonem ſimul, & ſimul Nydartum.

AD PAVLVM MELISSVM.

Nî dudum meritis tuis ſacraſſes,
Integrumque tibi priùs dicaſſes
Boiſſardum, officio meam recenti
Lucrari poteras, Meliſſe, mentem.
Pro tua pietate ſic dolores
Meos imminuiſti, & erudita
Mœſta pectora collocutione
Firmaſti: cruciatibuſque longis
Divexatum animum, & jubar peroſum,
Pertæſumque ſuę uſquequaquę vitæ,
Quaſſum planctibus, atque humi jacentem
Docto carmine rurſus elevaſti.
Nec ſolùm mihi, ſed meo Faino

Summa vivere gloria dediſti.
Vixit ille ſibi, ſuoque honori
Satis: ſed patriæ & ſuis amicis
Parùm: Sic voluere Fata: ſic deorum
Decretum irrevocabile expetivit.
Vita hæc inſtabilis, caduca, plena
Ærumniſque teterrimiſque noxis,
Suum principium dolore, & udis
Orditur lacrymis: & in dolorem
Exit, & lacrymas. Quod ille quondam
Dixit Mygdonio ſenex tyranno
Silenus Phrygia manu retentus.
Optimum eſſe homini, haud videre lucē
Vitalem: citò vel mori, priuſquam
Infelicem animam trahat per omnem
Fortunæ petulantian, & malignæ
Sortis inſidias. Satis ſuperque id
Multa exempla docēt. Charybdis inde,
Inde Scylla vorax hiant, utrinque
Noſtræ naufragium rati minantes.
Raptamur dubios vagi per æſtus:
Cœli fulgura deſuper boatu
Horrendo aßiduê increpant: nigranti
Nos voragine circuit procella.
Securis tamen hæc pericla tonſis
Inſani petimus, juvatque prona
In præceps ruere & trahi carina:
Palmū unū a Lacheſi, aut duos remota.
Hæc ſecum meditans meus Fannus
Morti proximus ut fuit, beatus

Vive ſæcula multa, dixit, atque
Lætos exigito dies, Iacobe:
Hoc ſi Fata velint. Mihi lucro eſt mors,
Expetita diu & diu cupita.
Hæc me liberat a malis, quibus me
Dura exercuit Atropos tot annis.
Tui unius amore victitavi:
Propter te tolerans lubenter hujus
Vitæ curriculum laborioſum.
Et foret mihi dulcis hora Lethi:
Morte nî gravior mihi eſſet illa,
Quę te triſtitia atteret, ſodalis
Sinceri interitu. Vale, atque vive
Æternum: atque tui memor Faini,
Noſtram amicitiam piis Camœnis
Æternum effice: poſterumque in ævum
Victuris (potes hoc labore parvo)
Noſtra nomina prorogato chartis.
Sic totum Libitina ſuſtuliſſe
Non dicetur: eritque pars mei una
Soſpes, & cineri ultimo ſuperſtes.
Hęc mî, dulcis amice, lacrymanti,
Poſtremumque diem Deos roganti
Mandaſti moriens. Suprema fido
Nunc juſſa obſequio ſequor. Sed ecce
Felix umbra etiam tibi parentant
Tot vates Italique, Teutoneſque,
Galli, & Sauromatæ: Sed inter omnes
Hujus gloria ſæculi Meliſſus
Libans munera, barbito canora

Fundit dulce melos. Cape hæc ab atra
Quà te celat humus levis favilla.
At tibi faveant, Meliſſe, ſemper
Phœbus, Pieriðeſque, & ipſa Pallas.
Sic poſthac tibi ſit benè & beatê.
Sic tibi Superi tuos amicos
Servent incolumes: nec ad ſepulchra
Illorum aßiduis gemas querelis.
Sic ſemper tibi ſit perenne nomen:
Et primum decus inter eruditos:
Sic, dum quæſtio ſuſcitata quæret
Vatum quis meritò eſſe debeat rex:
Applaudat tibi mundus univerſus,
Et ſine invidia negante nullo,
Ore uno referatur, eſt Meliſſus.

AD IACOBVM PASCHArium medicum.

PAſchari optime, cordis intima o pars
Boiſſardi veteris tui ſodalis:
Boiſſardi miſeri tui ſodalis:
Boiſſardi rigidis trahentis aſtris
Infelicem animam: Tuus ſodalis,
Boiſſardus tuus ille, cui Camœnæ,
Dum Fatis placuit, perenne nomen
Faventes dederant: facetiiſque
Excultum omnibus, & fide probatum
Antiqua, tibi junxerant amicum.
Ille ille óccidit, & Deûm favore

Nudatus, ſubito volutus ictu
Duræ impactus humo eſt, rogatque mortem
Planctuque & lacrymis (mihi heu mihi eſſet
Lucro mors) tamen & Deûm favore
Illi vivere nec mori tributum eſt.
Paſchari optime, ſi videbis illum,
Horrebis ſtupidus, trabeſque vultum.
Nec ſiccis oculis, quid, inquies, hoc
Eſt monſtri? meus iſte ne eſt Iacobus?
Dilectus mihi tam fideli amore?
Vnde hę luminibus cavis tenebrę?
Vnde ori attonito pavendus horror?
Quod pallor macieſque, quod feretrum
Lethæa vitiat ferale larva.
O ævi decus hujus, o amicis
Prime ex omnibus: hæc miſerrima eſt, &
Noſtræ conditio ſtatuſque vitæ.
Vixi olim, voluere dum benigna
Fati numina. Sed quies mea, atque
Vni credita vita erat Faino.
Qui me plus propria ſalute amavit:
Quem tunc præpoſui meæ ſaluti:
Cujus conſilio atque amore fretus
Dies cœlicolis vel invidendos
Viſus ſum mihi ducere: undequaque
Felices mihi ſic fuere, & illi
Omnibus numeris ſuis beati.
Ille mortiferæ tumore peſtis
Ictus corruit: & cadens ſimul me
Fecit participem ſuæ ruinæ.

Qui nunc fuſus humi dolens gemenſque
Lucem odi atque homines: cibo atque potu
Nauſeans poſito, & meis ocellis
Mollem pervigil abnegans ſoporem.
O quantum poteras meo dolori
Conferre auxilium allocutione!
Conſolarier, & levare curas:
Eſt quibus tamen immori ſtatutum.
Quàm breves homini dies reliquit
Fati avara manus! maliſque quantis
Noſtra tempora miſcuit Deûm vis!
Nulli unquam ſine nube ſol coruſcos
Produxit roſeo nitore currus.
Queis aurora ſerena ſurgit, illos
Nimboſo inſequitur fragore veſper.
Firmum corpore & optimè valentem,
Perfunctumq; epulis choriſque primo
Nox ſomno rapit, excipitque lectus
Infernæ gravidus ſopore Lethes.
Vita hęc umbra mera eſt: fugitq; furtim
Vanior pluvia tumore bullæ.
Morte certius eſt nihil: globoque
Sub lunæ omnia tranſeunt volucri
Curſu: Sic placuit Iovi: ut doceret
Nos terreſtria temnere: atque ad altos
Adſpirare polos: ubi peracto
Vitæ curriculo, parata nobis
Arx & præſidium quieſque reſtat.

AD LENTVLVM VENTIDIVM
Nucerinum. I. C.

CVras, Lentule, ut exuam, & dolores
Qui rodunt mihi cor jubes, ſimulque
Exhortaris amœnitate agrorum,
Colliumque vigore, floridiſque
Ripis Medoaci fruar, locique
Miti temperie, & labore feſſum
Thermarum recreem tepore corpus.
Prudens conſilium tuum eſt, mihiq́;
Neceſſarium: at obſequi recuſat
Dolor ſana monenti, & impotentis
Vrens cura animi: in dieſque major
Angor ex obitu hoſpitis ſepulti.
Felix tuque aliique, qui remiſſè
Amando, impatientiam poteſtis
Tædii cohibere, fortiterque
Ferendo omnia, in ordinem rebelles
Impetus agere, & furore quovis
Luctantes validis domare frænis.
Sic ut ſceptra habeat quieta, menti
Imperans ratio, & reducat arcta
Vagas ſub juga cogitationes.
Infirmum magè, molliuſque nobis
Cor natura dedit: meumque pectus
Affectus animi potentiores
Percellunt. Tolerabò ego bonorum
Iacturam leviùs, famem, ſitimque,
Morbos, exſilium, gelu, calores,
Et quodcumque genus laborum. Amici
Aut abſentia longa, morsve tanto
Me torquet cruciatu, ut æquiore

Fata extrema animo feram. Faini
Poſt caſum ſtudii repente fervor
Extinctus cecidit: vigorque noſtri
Primus ingenii. Silet Camœnæ
Blanda garrulitas, ſales, jocique.
Crebrarumque deambulationum
Recreatio, verſuumque dulcis
Alternâ recitatione cantus.
Noſtra denique gaudia, imo vitam
Funus ſuſtulit unius ſodalis.
Teſtor, Lentule, maximum Tonantem,
Ingratam mihi ſolis eſſe lucem,
Invitumque ſuperſtitem eſſe, poſtquam
Meus vivere deſiit Fainus.
Nec quicquam memini dolentius me
Poſt Guiaſdovii necem tuliſſe.

AD BASILIVM CHARONDAN EPIROTAM.

QVòd tu condoleas meo dolori,
Laboremque meum feras iniquè
(Quem jactura mei intulit Faini)
Gratias, Baſili, tibi referre
Non eſt noſtræ opis. Eſt ſatis ſuperque
Actum a te: Inferię rogo ſolutæ.
Et thura, & lacrymas, crocum, & Ciliſſam
Spicam infudimus: ultima atque dona
Libata, & datus eſt cinis ſepulchro.
Nullum ultra pietas poteſt amico

Præſtare officium. Sibi atque honori
Vixerat ſatis: at tibi mihique
Parùm. Culpa ſed imputanda Parcis:
Quæ mortalia fata ſorte iniquâ
Diſpenſant, rigidoque ſæva fuſo
Torquẽt ſtamina, dũ optimis quibuſq;
Sunt inferre feras manus paratę.
Nil reſtat, lacrymas niſi ut perenni
Stillent lumina flumine, & ſodalem
(Quo non eſt melior, fuitve, eritve,
Quot ſunt, quotquot erũtve, vel fuerũt
In Antennoris urbe) lugeamus
Vt vixit benè, mortuus beatê eſt:
Atque eo tumulatus eſt honore,
Quo virum decuit bonum. Charonda,
Hęc ſolatia maxima eſſe utrique
Poſſunt: cętera providentię qui,
Statutoque relinquimus Deorum.
Noſtra qui trutinant bilance juſtâ.
Vitã quiq; hominis brevẽ & caducam,
Duram & difficilem, maliſque plenam,
Morte in perpetuam, bonam, & beatã
Mutant: Mors meritò ut queat videri
Vita & grande lucrum bonis: quòd illa
Æternum pariat quiete certâ
Pacem & gaudia poßidenda in ævum.

RINHOLDVS AB HEIDENſtein Boruſſus, Stephano Batthorio Sarmatiæ regi a Conſiliis: ad Boiſſardum.

Boiſſar-

BOiſſarde, o decus elegantiorum,
Idem carminis auctor eruditi,
En noſtrum tibi munus ad beati
Quod triſtes ferimus rogum Faini:
Incultum nimis & minùs venuſtum.
Quale ferre ſolemus illa turba,
Qui Muſas colimus ſeveriores.
Qualecunque tamen tuo Faino
(Si non omnia morte finiuntur)
Gratum exiſtimo non minùs futurum:
Quòd a pectore candido profectum,
Teſtis eſt fidei, tuique amoris :
Quem fatalia fila dum ſinebant,
Multis indiciis ei probaſti.
Iamque ipſum tumulũ piis frequentas
Donis, & lacrymis rigans amaris,
Et verſu faciens tuo perennem.
Quòd ſi non ita, ſicuti merebat
Inſignis tuus ille amor fideſque,
Noſtro carmine proſecuta Muſa eſt,
Sit probata tamen tibi voluntas:
Quamvis viribus illa deſtituta.
Sic cùm terribilem movebit urnam
Summus arbiter ille mortuorum,
Parcat Manibus is tui Faini.

BOISSARDVS AD HEIDENSTENIUM.

VT lego & relego tuum poëma,
Quo nil doctius eſt polituſve:

Nihil dulcius, eruditiuſve:
Expleri nequeo, Rinbolde, mentem:
Quàm luctu aſsiduo & dolore fractam
Scriptorum recreas ſuävitate.
Gratum hoc officium eſt meo Faino:
Quem tu verſibus eximis ſepulchro,
Et das vivere ſempiternum in ævum.
Nec gratum minùs eſt ſuo Iacobo:
Cujus triſtitiam levas canendo;
Mortique eripis, & ſuis amicis
Illum reſtituis, tibique firmâ
Fide concilias, tuumque reddis.
Felix vive igitur, Rinbolde, poſthac,
Arctoi decus atque honos Boruſsi:
Et virtute animiſque claram avorum
Auge nobilitatem eques: tuique
Montis gloria Regii feraris.
Dumque Sarmaticum colis tribunal,
Et res imperii ſagaciori
Fulcis conſilio, tibi ſit uſque
Favens ſancta Themis: locumque primũ
In aulâ obtineas Polonâ, ametque
Summo Batthorides honore cultum.

IN TVMVLOS LAELII CLEO-PASSI HYDRUNTINI.

PLorabam, & lacrymis meos rigabam
Sinus, nocte dieque conquerendo:
Quòd novem tibi vix benè abſolutis

Duris

Duris, triſtibus, & laborioſis,
Tanta & tam mala per pericla luſtris:
Quando jam ſtadio fere peracto,
Te victoria laureâ coronâ
Complectens redimiret, & labores
Compenſaret honore percelebri:
Clotho forfice non benè auſpicatâ
Vitæ ſtamina conſcidiſſet, & te
Quaſſum lumine conderet ſepulchro.
Conſumpſi immodicis dies querelis,
Et rupi manibus meis capillos
Tuo in funere, tabuique luctu:
Quòd mihi, Cleopaſſe, te carendum
Æternùm foret: & ſodale, cujus
Dulci colloquio, pio, erudito
Vitam egi facilem, bonam, & beatam.
  Invidere Dei hanc beatitatem
Sunt viſi mihi, gaudiumque amaris
Mutarunt lacrymis: mori cupivi
Sæpius: doluique prorogari
Cum mœrore diem, & cibos refugi
Tanquã tetrã aloëm, aut nocẽs venenũ.
Inſomneſque agitans vigil tenebras,
Exortum timui videre ſolem,
Avertens oculos. Sed iſta, Læli,
Tantùm ſunt mea damna. Tu doloris
Expers vivis, & ad Deos relatus,
Æternam exigis Indiges quietem.
  Flere deſino, gratulorque amico
Salvo, & incolumi, & polis recepto.

Qui firmo palagus ſecans faſelo,
Ventorum rabiem, ſalique fluctus
Infidi ſuperavit: & procellas,
Et Caphrea, Syrtiumque arenas,
Et mœſtum Oebaliæ vadum Maleæ:
Scyllæoſque canes, voragineſque
Evadens Siculæ celer Charybdis
Servatâ fruitur rate, & deorum
Optatum ſubiit favore portum.
Nunc, Fortuna, vale: tuiſque lude
Promiſſis alios. Vale ſimul Spes,
Eventu dubio fluens. valete
Divæ numinibus nimis doloſis
Fallaces: levitate quæ ſoletis
Suſpenſas hominum fovere mentes.
Solvant vota alii, ſacraſque ad aras
Triſtes naufragii ferant tabellas.
Et celeumate languido fatigent
Veſtra nomina: perditiſque tranſtris,
Oppreſſoribus adſtruant ſalutem.
Securâ Cleopaſſus en quiete,
Chriſto vindice, & adjuvante curſum,
Tuta ad littora flatibus ſecundis,
Emenſo æquore navigans potitur.
Quo quid lætius eſt beatiúſque?

PAVLVS MELISSVS DE CLEOPASSO.

AMice magne Boiſſardi
Cleopaſſe, cur tibi atram

Sic

Sic de repente trux mortem
Properare Parca amavit?
Cur tam citò ipſa fatali
Scidit in colu diremptum
Pernice forfice ſtamen?
Similes pareſque vobis
Ne fama mente Theſéa
Negitaret uſpiam ullo
Vllumque par amicorum
In amore vixe tanto.

AD IOANNEM PORNAEVM Piamentam, in tumulos Mariæ Iugææ Lugdunenſis.

OCcidit tua lux Iugęa virgo,
Tuæ delicię occidêre: & illa
Cordis intima concidit tui pars.
Plange pectus, & unguibus cruentis
Rumpe tempora, lacrymiſque mœſtos
Reple, Iane, ſinus. Iacet. Iugæa
Lugdunenſis agri decus, parentum
Expectatio ſola: Quam ſuis ſi
Servaſſent Superi, futura conſors
Tandem erat thalami tui, exigendo
Tecum tempora lęta. Sed bonum iſtud
Invidit tibi ſors iniqua, morſque
Præmatura. Deos tenella virgo
Cur non hæc tetigit? ſubibis iſtam,
O cœlum, invidiam, & trium ſororum
Nudata ante diem colus, trucique

Rupta ſtamina forfice: hæc puſilla
Ætas quid meruit? quid iſta forma
Expers labis, amoribuſque ſolis
Dicatus decor, innocensque ſexus?
O vitæ fragilis tenor caducæ!
O juventa gradu ruens citato!
Spes incerta hominum: vniuſque noctis
Inſiſtens glacie. Quid heic relictum eſt
Firmi? quid ſtabile eſt? niſi rotatam
Dicas aßidua volutione
Fortunæ volucris fugacitatem.
Felix quem Superi, volente Fato
Natum, hinc eripiunt, locantque cælo:
Nam qui vivere judicat beatum
Iſtis temporibus, quibus maligna
Sors bonis inimica, amica pravis
Miſcet omnia fraudibus doliſque,
Furtis, cędibus, infidelitate,
Tempeſtatibus & meris procellis:
Huic ſenis Pylii precabor annos:
Seroſque Euboicæ dies Sibyllæ:
Vt tandem ipſe mori æſtimet beatum.

AD PETRVM MONAVIVM
Vratiſlavienſem, Rudolphi Rom. Imp. Medic.

ALmæ patricium decus Budorgis,
Quam pulchro Viader rigat fluento,
Monavi Aoniis amate Muſis:
Ruſticus meritò tibi videbor,

Amo-

Amoriſque parùm memor, mihi olim
Qui cum fratre tuo fuit: quòd annis
Duobus Patavi fere abſolutis,
Boiſſardus tibi vix fuiſſe notus
Diceturque obiter fuiſſe viſus.
Qui meas propiùs tuebitur res,
Et qua conditione victitarim:
Non mirabitur accidiſſe, ſuavi
Vt ſodalicio omnium relicto
Abſtruſis latitaverim tenebris.
Namque in Euganei ſchola Lycei
Semper ſollicitê anxiequê degi,
Fato obnoxius, & fere occupatus
Publiciſque domeſticiſque curis.
Nunc morbo implicitus mei Viennæ:
Nunc captum illius ingemens parentem:
Nunc prędę expoſitos meos penates,
Sublatamque pecuniam locellis.
His ſuperveniens lues acerba,
Tam frequentibus Adriæ colonos
Hauſit funeribus, foro ut ſit urbis
Nil deſertius. Et furore eodem
In ſuum interitum ruens fatiſcit
Vrbs Antennoris. Vndequaque furva
Graſſatur Lacheſis colo, & cupreſſu
Ferali Libitina vincta frontem
Ex æquo omnibus ingerit venenum.
Heu quantos miſero, & quot hæc amicos
Sors mihi abſtulit! Heu jaces, Veturi
Phœbi deliciæ, nihilque juvit,

Quòd bini Podalirii nepotes
Paternus, Capovaccinſque prudens,
Lapſæ contulerint opem ſaluti.
Te Pomponius eſt brevi ſecutus:
Te Proſperque, Tituſque, Lęliuſque,
Alfonſusque, ſenexque Apollodorus.
Sed longè omnibus his amantiorem
Noſtri, peßima mors, mihi Fainum
Cruda forſice ſæviens necaſti.
Amaris lacrymis & ejulatu
Miſcens omnia, meque tam fideli,
Tam caro, facilique, amabilique
Privans hoſpite: cujus in ſinum omnes
Affectus animi latentiores
Conſueram exonerare: qui mihi uni
Senſa abſcondita mentis explicabat.
Morti proximus ut fuit, ſuprema
Mî mandata dedit, valéque dixit
Æternum. Illi aquula ſitim levavi:
Lethi cordolium, ut ſinebat hora,
Demens aßidua adlocutione.
Leſſum funeris ergo, & ad ſepulchrum
Triſtes exſequias dolens peregi:
Non minùs miſerabilis ſodale
Perempto: imo miſer magis magiſque,
Quo minùs licuit mori volenti.
Caußis hactenus impeditus iſtis,
Dulci colloquio tuo fruiſci,
Et conſortia tam diu cupita
Frequentare nequivi. In his procellis

Conſu-

Confuſa omnia ſunt mea,otiumque
Vix mentemque animumque colligendi
Datum a mœſtitia eſt,maloque luctu.
Ecce nunc Clerevantii repente
Hinc excedere litteris jubemur.
Nec vale tibi diximus. Pudet me
Mei non mediocriter, pigetque:
Quòd partem officii mei videbor
Omiſiſſe levis parumq́ gratus.
Sed tu , ut comis es ingeniique mitis,
Et fellis modici, volens amico
Ignoſces,ſcio:Nec mihi imputata
Culpa ulla veniam dabis benignê
Paucis hendecaſillabis roganti.
Veronæ facimus moram die iſto,
Catulli patriam ut meus Vienna
Agnoſcat:videatque reſtituti
Ambitum amphitheatri,imagineſque
Antiqui monimenta priſca ſęcli,
Quę paßim in celebri locantur urbę.
Hinc nobis ſuperanda Rhæticarum
Alpium juga ſunt viam ad Lemannū
Facturis celeri pede:Hinc petentes
Arva Rauraca,Theutoneq́ Rhenū,ad
Alſatos veniemus, unde cultum
Siſtamur vitrei ad ſolum Moſellæ.
Me ſive Auſtraſia hoſpitem tenebit,
Sive Sequanicum ad Dubim vocatus,
Inviſam patriam Veſuntionem:
Atque illic aliqandiu moratus

Rebus compoſitis, via reflexa
Rurſum ed Medoacum citus revertar,
Te, mi Petre, animo intimaque mente
Geſtabo aſsiduê, tuumque fratrem.
Nec veſtri immemorem dies vel hora
Boiſſardum arguet aut notabit unquam.

VITO VINSHEMIO, FRIDErici Daniæ regis ad Henricum III. Galliar. regem Oratori.

VIte Caſtaliis amate Divis,
Phœbi deliciæ, tuęque gentis
Splendor, quem mihi dulci amore quondā
Charis conciliavit & Camœna.
Oris quà vagus Iſter a Suëvis
Boios ingreditur, lavatque amœni
Valla Ingolſtadii tumente fluctu:
Qui mecum Adriacos ſinus adiſti,
Inque Antennorei foro Lycei
Exigendo dies ſimul beatos,
Imo cœlicolis fere invidendos
Boiſſardum tibi dedicaſti in ævum.
Quod crimen miſero mihi imputatur?
Quo Deûm ſcelere impiatus iſtud
In caput cumulaſſe dicar iram?
Qui morbo implicitus malè ominoſo,
Vicinas habitaverim Grimontis
Arces, vix lapide hac ſecundo ab urbe,
Danis dum Auſtraſium eſſedis Moſellam

Breidę

Breidę Ranzovio comes petiſti.
Perſonam ille Iovis, nepotem Athlantis
Tu dio referens nitore linguæ:
Tunc mihi haud licuit ſalutem amico
Paucis dicere, & in tuos venire
Amplexus, & Hymettio liquore
Audire ora rigata. Vę miſello,
Olim ſideribus ſato ſiniſtris:
Quem tanta immeritò parùm faventes
Privarunt Superi beatitate.
Sed tamen veterem tuum ſodalem
Geſtas pectore, & intimis medullis.
Nec te pœnituit rogare de me:
De rebuſque meis amanter, atque
Ægro condoluiſſe. Vive felix,
Vinshemi, atq; valens: probêque rebus
Geſtis, muneribuſque honoreque auctũ
Aula regia Cimbrici Monarchæ
Te tandem excipiat, colatque tota
Cherſoneſus ametque: ſiſque ditis
Hamburgi columen. Tibi ſit uſque
Facundê proprium loqui & diſertê.
Sic Pitho inſideat tuis labellis:
Suadam ſic habeas tibi obſequentem,
Et Maia genitum, ora dum reſolves
Galli ſuavia Regis ad tribunal,
Té fronte audiat ille diſſerentem
Pacata utilibuſque non repugnans
Cedat conſiliis, proculque pellat
Te ſuadente feros ubique motus:

Rebus compoſitis, via reflexa
Rurſum ed Medoacum citus revertar,
Te, mi Petre, animo intimaque mente
Geſtabo aſsiduê, tuumque fratrem.
Nec veſtri immemorem dies vel hora
Boiſſardum arguet aut notabit unquam.

VITO VINSHEMIO, FRIDERICI Daniæ regis ad Henricum III. Galliar. regem Oratori.

VIte Caſtaliis amate Divis,
Phœbi deliciæ, tuæque gentis
Splendor, quem mihi dulci amore quondã
Charis conciliavit & Camœna.
Oris quà vagus Iſter a Suëvis
Boios ingreditur, lavatque amœni
Valla Ingolſtadii tumente fluctu:
Qui mecum Adriacos ſinus adiſti,
Inque Antenorei foro Lycei
Exigendo dies ſimul beatos,
Imo cœlicolis fere invidendos
Boiſſardum tibi dedicaſti in ævum.
Quod crimen miſero mihi imputatur?
Quo Deûm ſcelere impiatus iſtud
In caput cumulaſſe dicar iram?
Qui morbo implicitus malè ominoſo,
Vicinas habitaverim Grimontis
Arces, vix lapide hac ſecundo ab urbe,
Danis dum Auſtraſium eſſedis Moſellam

Breidę Ranzovio comes petiſti.
Perſonam ille Iovis, nepotem Athlantis
Tu dio referens nitore lingua :
Tunc mihi haud licuit ſalutem amico
Paucis dicere, & in tuos venire
Amplexus, & Hymettio liquore
Audire ora rigata. Vę miſello,
Olim ſideribus ſato ſiniſtris:
Quem tanta immeritò parùm faventes
Privarunt Superi beatitate.
Sed tamen veterem tuum ſodalem
Geſtas pectore, & intimis medullis.
Nec te pœnituit rogare de me:
De rebuſque meis amanter, atque
Ægro condoluiſſe. Vive felix,
Vinsbemi, atq; valens: probêque rebus
Geſtis, muneribuſque honoreque auctũ
Aula regia Cimbrici Monarchæ
Te tandem excipiat, colatque tota
Cherſoneſus ametque: ſiſque ditis
Hamburgi columen. Tibi ſit uſque
Facundê proprium loqui & diſertê.
Sic Pitho inſideat tuis labellis:
Suadam ſic habeas tibi obſequentem,
Et Maia genitum, ora dum reſolves
Galli ſuavia Regis ad tribunal,
Te fronte audiat ille differentem
Pacata utilibuſque non repugnans
Cedat conſiliis, proculque pellat
Te ſuadente feros ubique motus:

Quos civilibus incitata Enyo
Auget diſſidiis, Erinnyaſque
Vafra, prob dolor, arte quinque luſtris
In noſtrum exitium furenter armat.
Per te intelligat ille tot bonorum
Preces, & lacrymas, & ejulatus,
Quos hi pro patria ruente fundunt.
Rex ut eſt bonus, atque amans ſuorum,
Et qui judicio acriore pollet,
Dicenti facilem benignus aurem
Præbebit. Sciet ut dolis adactus,
Sua in viſcera acinacem reflectat,
Tale nil meditans, ſibique dextram
Decepta inſcius amputet ſiniſtra:
Sceptri diminuat potentiam, quæ
Robur ſumere ſubditorum amore,
Concordique animûm fidelitate
Suevit: Vt taceas beata pacis
Almę munera, queis opes parantur,
Sunt Emporia fructuoſiora:
Floreſcit ſtudiis bonis juventus:
Et grato colitur labore tellus.
Certant flava Ceres, Paterque Liber
Fœcundare ſolum, artibusque pulchris
Ornat doctus Apollo civitates,
Choruſq; Aonidũ, & Minerva pręſes.
Iſthæc omnia, Vite, ſi impetremus
Per te, Gallia læta ſempiternas
Gratias aget, & rependet ultro.
Inſcribetque tibi hoc memor trophæum.

VITO, CUJUS OPE EST SUPERSTES, ATQUE
PRISCAE GALLIA RESTITUTA FORMAE.
MARMOR HOC BENE CONSECRAT MERENTI.

AD PAVLVM MELISSVM.

VXorem ſenior, Meliſſe, cùm ſim,
Luſtrorum cupiam trium Marillam
Odetta genitam Aubrioque patre,
Acuti & lepidi ingeni puellam
Miraris. Quid enim aut inuſitatum,
Abſurdumve gero? Mihi haud Cupído
Id ſuadet, fateor, Cypriſve cæca.
Neceſſum ſequimur. Satis ſuperque
Malum agnoſco, quod eligo: at duobus
Damnis propoſitis, locum minori
Concedo. Mihi cœlibatus eſſe
Gratior poterat. Sed is ſine ullo
Fructu ſervitium trahit: moleſtum
Vxoris minùs eſt ſubire juſſa,
Quàm frenos domini pati vel æqui.
Vſus nunc patriæ mihi negatur:
Et me canicies ruentis ævi
A tergo premit. Irritus prioris
Vitæ deperiit labos. Carina
Excuſſus, dubii maris procellis
Naufragus feror. Hinc furit Charybdis,
Inde Scylla fremit. Mihi hęc voraci
Quamvis inguine iniqua præferetur
Abruptis Siculi vadis profundi.

Vxor difficilis, moleſtaque eſt res:
Quę tamen patientia levatur.
Fitque uſu tolerabilis. Sed ipſa
Servitus mala ſemper eſſe ſuevit.
Ingrata eſt juveni, virum perurit:
Sed magis miſerum in dies & horas
Mordaci cruciat ſenem capiſtro.

Cùm ſit alterutrum mihi ferendum,
Damnum quod minus eſſe mî videtur
Coactus ſubeo. Haud podagra, nec, quæ
Languidam Venerem facit, ſenecta
Deterrent. Viduam, Meliſſe, nolo:
Quæ mihi memoret virum priorem.
Et noctes aliquot beatiores,
Olim primus Hymen quibus vacavit,
Ima mente gerat, mihique triſti
Vultu ſegniciem exprobet, velitque
Secubare alio ſubinde lecto.

Ero impar juveni, frequenſque rixa
Intrabit thalamũ, metusque ne quem
Rivalem improba clamculum marito
Inducat. Vetulæ torum voluptas
Nulla aut frigida permeat. Calorem,
Ætas quem mihi debilem reliquit,
Reſtauret cupio virens juventæ
Primo flore puellula: atque noſtri
Brumam pectoris algidam tepenti
Vere mî recreet ſuo. Libido
Vt ſedata magis, minùs proterva
Eſt in virgine, quæ jugale vinclum

Non

Non experta priùs pudore ſalvo
Ludorum rudis eſt Thalaßiorum.
Comit illa libentiùs capillos:
Nectit ſerica, textilique vento
Frontem obnubit, & aureum monile
Collo nectere gaudet, inſtitaque
Diverſo variare texta limbo,
Ducere aut tenui choros crocotâ.
Indulgentem ea diligit maritum,
Obſervatque velut ſuum parentem.
Fallor forſitan heic, meumque vanâ
Pectus ſpe foveo. Nec his nec illis
Contenta, miſerum ſenem hauriendo,
Fractum corpore cernuoque vultu
Curvatum ſubito ingeret ſepulchro.
Eſto: ſuavis enim eſt futurus error.
Et ſi decipiar, levis ſequetur
Pœna credulitatis. Huic duello
Si nobis erit immori neceſſe,
Dulcius fuerit novo necari,
Quàm ſcabro & veteri perire cultro.

AD SIMONEM ROVERVM MEDICUM LINGONENSEM.

QVid doctos Podalirii nepotes?
Quid artes Amythaonis, ſenemque
Centaurum Æmonio docentem in antro,
Pharmaciſque Epidaurium potentem
Miramur? ſimileſque maximis Dis

In cœlum immodico vehunt honore
Mortales? Sileant leves Palaſgi,
Commentis hominum ora, fabuliſque
Detinere licenter inſtituti.
Herbarum medicamine, atque ſuccis
Proditum eſt Stygiis reductum ab oris
(Reluctantibus inferoque Diti,
Fatiſque) Androgeona, redditumque
Dictæo eſſe ſuperſtitem parenti.
Vulgat fama eadem, innocenter actũ
Minoæ Hippolytum dolis novercę
Domo Cecropiâ, minaſquę ſævi
Ægidę fugientem, equis citatis
Diſcerptũ, æthereaſque rursũ ad auras
Perductum medicæ vigore dextræ.
Antiqui monimenta priſca ſæcli,
Per me intacta manete: nec mihi ſit
Fas, incredulitate polluiſſe
Quæ myſteria clauditis receſſu.
Abſit: vivite ſempiternum in ævum,
Manes floribus & virente lauro
Digni: At quid vetat hujus in decóris
Partem, accerſere vel recentiores?
Audi poſteritas: fides habetur
Si experto, mihi nunc faveto teſti.
Illis nunc referã haud minora, quæque
Senſi atque hauſi oculis: videre nunquam
Poſthac talia Dj Deęque faxint:
Falſa dicere malo judicari:
Menſibus mihi plus tribus furenter

Infeſtus

Infeſtus capitis dolor feretro
Penè invexerat: atque anhela febris
Igne continuo æſtuans vorabat
Mî prȩcordia, nauſeȩque putor
Languētem ſtomachū, oraque inquinabat.
Deſperata ſalus medelam in ipſo
Solo funere quæritans, ruebat.
Trama dum mihi vix ſubeſt figurȩ,
Caligantibus incubant ocellis
Dum nox perpetua, & graves tenebrȩ:
Oſſa dum cute vix teguntur, atque
Hoc de corpore ſola reſtat umbra:
(Spectro hȩc eſt eademque forma larva)
Cui pallor, macieſque turpem hiatum
Labrorum trahit: his malis gravatum,
Horrendum, atque meis pavendū amicis
Eductum violenter e ſepulchro
Luci reddidit, & videre ſolem
Conceſſit medicȩ decus cohortis
Roverus: Liceat virum ergo tantum
Illis æquiparare, quos vetuſta
Summis tempora laudibus celebrant.
Tollatur tua fama ſumma ad aſtra,
Simon, nec metuas fugacis orbem
Fortunȩ, invidiæ aut nocens acumen,
Oro: & Lingonibus tuis in ævum
Serveris: facileſque primum honorem
Cedant, ut merito optimóque civi,
Qui Machaonius ſacra inſtitutis
Dedunt tempora. Poſterique norint,

Me tibi face junxit: & marita
Zonam ſolvit Hymen, ſacraque myrto
Tibi timpora cinxit: annuerunt
Divæ Caſtalides, quibus ſacraram
Me longo ſtudiúmque cælibatu.
Votum Delius irritum probavit:
Et noſtrum ad thalamum melos canorũ
Aurata increpuit chely. Faventes
Sint linguæ. Bona verba quiſque dicat.
Bonis auſpiciis ſecunda queque
Succedant. Cape flammeum, Marilla:
Frontem obnube. Parens Odetta natam,
Aubriuſque pater ſuo marito
Tradant, & genero optimê precentur.
Is ſocru ſoceroque lætus, ævum
Felix exigat, & dies beatos.
Et ſocrum ſocerumque pulchra proles
Filiæ ingenuo beet nepote.
Qui poſſit patriæ utilis videri,
Suæ gentis honos, decuſque ſæcli.
Vota hæc audiat, & probata firmet
Largitor Deus omnium bonorum.
Æternúmque viro ſuam Marillam
Servet, atque ſuæ Aubriæ Iacobum.

IN CHILONEM.

O Indis precioſior lapillis!
O omni precioſior metallo!
Vita deliciis magis beata
Omnibus, Sybariticiſque menſis

Recti quę ſibi conſcia atque honeſti
Tranquillum peragit quiete curſum.
Chilo, rodere mortuos caninum eſt.
Nullas livor edax fatigat umbras:
Nam cymba excipere hunc Charon recuſat.
Adlatra, licet, improboque morſu
Defunctum lacera invidus leonem,
Qui Virtutem habet optimam patronam.
Famam lædere non potes ſepulti.
In ſolem ſpue: mox tibi relabens
Sputum luminaque oraque inquinabit.

AD RVTILIVM SARAVESAM I. C. VENETUM.

MVlti ſunt, Saraveſa, & eruditi
Queis urbana videtur atque bella
Libertas ea quidlibet loquendi.
His dicteria ſalſa, ſcommatumque
Dura amaricie fluens loquela
Mirê perplacet: unde diſſolutas
Sæpe amicitias videmus, inque
Converſas odium. Hos velut venenum
Et peſtem, Rutili, fugis, nec abs re.
Qui quæ vult loquitur, frequenter audit
Quę non vult: Sapientis eſt tacere,
Si res exigat, aut loqui modeſtê.
Mens ſit libera cuique, lingua ſerva.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI TUMULORUM & Epitaphiorum

⁂

LIBER VNVS.

AD LECTOREM.

LEctor, quiſquis ades, non heic jocus, aut
ſale cultum
Carmen erit: lacrymas pulla feretra notant.
Hactenus eſſe puta riſum ſatis:heic tibi luctum
Oſtentant mœſta ſcripta notata manu.
Sed quid tum?Tibi non iſthæc legiſſe nocebit:
Te quoque, ſi neſcis, ultima fata manent.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM POTENTISSIMUMQUE Principem IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariȩ, Comitem in Veldens & Sponheim.

ORNABAM titulos functis dum mœſtus amicis,
Nolueră heic, Princeps, nomĕ ineſſe tuū.
Nil te pollinctor, nil te veſpillo juvare
Eſt potis, aut triſtes funeris exequiæ.
Te decet auratis lætum fulgere ſub armis,
Ponere victrici & crebra trophæa manu.
Vel lemniſcata pulchram redimire corona
Frontem, clavata vel radiare toga.
Et populum juſſis ad ſacrum accire tribunal,
Quod tibi regali ſtravit honore Themis.
Pullati pompam leſſi, nigraſque cupreſſos,
Poſtremos ornat queis Libitina rogos,
Et quæ ſacrificis ad buſta cremantur acerris
Thura (niſi hoc pietas exigat officium)
Eſſe tuis indigna oculis quis neſciat? illos
Nullo perſtringi nempe dolore licet.

Tu tamen heic divum invenies recubare parentem,
Atque aliquid laudis carmine habere meo.
Non quòd ab exigua radioſus lampade Phœbus
Mendicet rutilo quo micat igne jubar.
Cantica ſed Superis gratiſsima ſemper habentur:
Quodque hominum puro pſallitur ore melos.
Atque animæ Heroum laudari voce requirunt:
Et ſua diverſo flore ſepulchra tegi.
Non ſemper ſacris Hecatombe fumat in aris:
Summum etiam placat ſæpius agna Iovem.
Sic tuus ex alto Genitor converſus Olympo
Verſibus a noſtris non alienus erit.
Tu quoque eris facilis, vultuque notabis eodem
Præcipuê ſancto verba dicata patri.
Quod potui feci: Sacroſancti hoc munere Manes
A me majori non potuere coli.
Pauca leges numeris quæ ſunt heic ſcripta Phalæcis:
In reliquis poterit cura tibi eſſe levis.

IN TVMVLOS ILLVSTRISSI-mi Principis Vvolfgangi Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, & Biponti.

HEus reſiſte parumper, o viator:
Reſiſte, obſecro, nî periclum in ipſa
Mora ſit. Strepitum ſub hoc ſepulchro,
Armorumque ſonum duellicorum
Audi, & Caſtaliæ lyræ ejulatus,
Et tonos querulæ chelys. Viator,
Nonne audis reſonare neſcio quid,

Quod

Quod noſtros ſuperet modos? & omnem
Humanam harmoniam? olfacis ne ſuavem
Thuris, oro, fragrantiam Sabæi?
Stacten, cinnama, balſamum atq; coſtũ?
Divini heic aliquid ſubeſſe certum eſt.
Hunc locum venerare, cernuuſque
Sepulti ad tumulum Deos adora.

Heic cubat vererãdus ille Princeps,
Divorum inclyta Cæſarum propago,
Vuolfgangus patriæ perenne lumen.
Qui compeſcere Gallicos furores
Dum ſtudet, rabiemque, Rheni ab oris
Regna in Celtica Teutonum phalanges
Belli fulmina dux creatus egit.
Adventu illius in fugam timore
Se dedit ſubitò illa trux Enyo,
Quę inteſtina odia ingerens, furentes
Ad civilia bella concitabat.
Pax rurſum placido ſerena vultu
Illo vindice reſtituta, triſtes
Reſtaurare parata erat ruinas:
Gallorum imperium quibus ſepultum
Deformi & mutilo ſitu jacebat.
Non tulit Lacheſis, colum ſed atram
Pullo vellere contegens, malignè
Forfice ante ſuum diem cruenta
Boni ſtamina Principis peregit.

Quaſſum lumine vidit ut Gradivus
Abjecit frameam, & manu ſubinde
Planxit pectora, conſciditque peltam.

Haſtam rupit, & Ægidem Minerva
Conculcans lacrymis genas rigavit.
Sed vectum ad Superos Deus recepit
Ad ſe, & Indigetem polo locavit:
Defuncti exuvias, caduca morti
Quas natura dicarat, hoc ſepulchro
Virtus mœſta locat: Gemunt Camœnę:
Et Phœbus pater optimum patronum
Luget occubuiſſe, barbitoque
Triſtes exequias dolens celebrat.
Sparge buſta roſis, viator: atque
Sanctis candida Manibus liguſtra
Funde, & florea ſerta. Ver ſacratum eſt
Vrnæ perpetuum, & quies beata.

CAROLI V. ROMANOrum Imperatoris.

Carole, te pullo ut vidit Fortuna feretro
Tectum, oculos lacrymis ſolvit, & ingemuit.
Indignum facinus mirentur ſæcula, dixit:
Quis fugiet Parcis ſtamina fuſa tribus?
Magnanimam dura qui cinxit caſſide frontem.
Rupit & hoſtiles qui ferus enſe globos,
Sub quo magna olim tremuerunt regna, Duceſque
Teutonicas hodie qui moderantur opes.
Albis & immenſi norunt vada cœrula Rheni:
Latus & Euxinas qui petit Iſter aquas:
Et Ligeris, Rhodanuſque potens, Arariſque fluenta.
Et Padus, & cultam regna per Oenotriam:

Quem

Quem Mauri Nomadumq; cohors, quē Punicus hoſtis.
Quem nec lunati ſuſtinuere Getæ:
Exanimis tumulo mandatur Carolus: heu heu
Non parcit generi mors fera, nec titulis.

Epitaphium ejuſdem.

CArolus Auſtriacę celeberrima gloria gentis,
Atque Europæi conditor Imperii,
Cùm totum validis orbem preſſiſſet in armis,
Exiguo victor clauditur h'eic tumulo.

Marci a Rya, Baronis Dicæi.

SIſte gradū, quiſquis cava marmora ſuſpicis hoſpes:
Spargere humum fuſis nec grave ſit lacrymis.
Hoc patrem patriæ clauſit Burgundia buſto:
Cum quo ſpes populi vita ſaluſque jacet.
Hinc titulis diſcant nimiùm ne fidere magnis,
Qui mundum imperio divitiiſque premunt.
Si neq; opes, nec honos, ſceptrique potentia aviti,
Parta nec a proavis gloria Principibus:
Si neque tutata eſt pietas, quin ſine propinquo
Clauſerit extremum morte jubente diem.
Te maneant quę fata velis hinc diſcere, tu qui
Virtute & meritis hoſpes es inferior.

Franciſci a Rya. M. F.

SVrgebat, proavos animo qui vincere poſſet,
Franciſcus clari clara propago ducis:
Dum patriam duro preſſam defendit ab hoſte,
Magnaque dum tentat fortiter auſa Ryas:

Vagina elabens capulo tenus ilia ſubter
Sica inopinato rupit inerme latus.
Sic propriam & patriæ fudit cum ſanguine vitam:
Illo ſuſtinuit quę moriente mori.

Mariæ Ragueriæ, Marci a Ryâ uxoris.

SI quam nobilitas, honosque, opeſque,
Si pudicitiæ modeſtiæque
Dotes, ingeniique acumen, atque
Prudens conſilium juvare poſſent,
Immortalis eras futura: teque
Tot virtutibus uſque, gratiiſque
Illuſtrem, numeroſa ſęcla agentem,
Volentem Superi Deabus illis
Antiquis ſimilem polo intuliſſent.
Sed cujus thalamos fide atque amore
Servaras ſtabili (ut fuit ſuperſtes)
Matronam ut decuit piam & pudicam,
Morte magnanimum virum ſecuta es.
Ergo poſteritas memor, perenni
Tuum tollet ad aſtra honore nomen.
Et fama excitus undequaque, buſta
Viſat qui tua, confluet viator:
Nardumque & caſiam, & Sabæa thura
Sanctæ Heroidos ingeret ſepulchro.

Claudii Antonii a Vienna, Equitis, Baronis Clerevantii, &c.

BVrgundo regum ſeriem de ſtemmate ducens
Claudius hac, hoſpes, contumulatur húmo.

Pace

Pace bonus, belloque valens, in utroque fidelis:
Clarus conſilio, clarus & eloquio.
Qui patriæ ut prodeſſet, opes vitamque profudit:
Hac cauſſa in vivis ſe ſupereſſe ratus.
Gallia civilis furia dum flagrat Enyûs,
Inque ſuam demens æſtuat uſque necem:
Allobrogum haſtatas trabeato agit agmine turmas,
Infelix duri temporis auxilium.
Quod bruma in nihilum & pluvię frigusq; redegit:
Infectiſque (ſcelus) toxica mixta cibis.
Conceßit Fatis magno mœrore bonorum:
Cui tumulum & titulos fide Lemanne locas.
Parte ſui tamen is vivit meliore ſuperſtes,
Inter Semideos Indiges aſtra colens,
Gallia magnanimi laudes famamque Viennæ
Cantitat, & patriis cælat in hiſtoriis.
Hoc precium eſt vitę ſumma integritate peractę.
Sic premitur Virtus, non tamen opprimitur.

Helenæ a Rya, Marci fil.

HEic ſita eſt Helene, Viator, illa,
Non cui Tyndaris eſt parens, olorque,
Marci bellula ſed Ryę propago.
Forma corporis elegantioris,
Et candore animi modeſtioris;
Culta, & moribus. Expetas quid ultra?
Rege digna viro? viro illa regi
Idcirco Superûm puella nubſit.
Sed mortale habuit quod, hoc quieſcit
Incluſum tumulo. Roſis ſepulchrum

Spargito, violiſque, liliiſque.
Dona iſthæc cinerem juvant ſepultum.
Hoc tantùm jubet, atque te valere.

Annæ Haſſonvillææ, Sancti Petri apud Mediomatrices Antiſtitæ.

GEnte ſata illuſtri heic Haſſonvillęa quieſcit,
Virginei cuſtos Anna pudica chori.
Veſtales rexit prudens Antiſtita cœtus:
Cui ſtudium Virtus, caſtaque relligio.
Quodque vides, hoſpes, vaſta teſtudine templum
Extolli erectis parte ab utraque tholis,
Extruxit proprio ſumptu: ſacriſque peractis
Devotum Petro rite ſacravit opus.
Nil tamen hęc pietas, nil Virtus juvit, & illa
Nobilitas priſcis edita Principibus:
Quin dulcem ante diem ſupremo funere vitam
Deſereret, Superis excipienda polis.
I nunc, quem multo cumulat Fortuna favore,
Quem regalis honos, robur, opeſque beant.
Quæ modò in Auſtraſia pulchra celeberrima fama
Claruit, infeſtis vermibus eſca jacet.
Ne tamen interiiſſe putes: poſt funera vivit.
Cœlum animam excepit, membra caduca ſolum.
Poſtea in integrum quę reſtaurata reſurgent,
Terminus ut rerum venerit illa dies.
Interea corpus tranquilla dormiat urna:
Nec cinerem ſacrum marmora dura premant.

Franciſci a Vienna, Claudii Antonii filii.

Heic

HEic jacet indigna ſublatus morte Viennas,
Sequanicis quondam regibus ortus avis.
Cui penſum glomerans felici ſtamine Parca,
Vix quinque exactas nerat Olympiadas.
Acceptum Muſis, & Phœbo Pallas amicum
Suſcipiens propriis artibus erudiit.
Perque gradus omnes ſumma ad faſtigia vexit
Militiæ: atque Ducis nomen habere dedit.
Nervius hunc, Eburonque potens, fortiſque Sicāber,
Et fortunatum Belgica amavit humus.
Invidit Mavors: juvenemque immitibus auſis
Audacem curſu ſuſtulit e medio.
Ingemuit tanto mœrens Antverpia caſu:
Et lacrymis oculos ſolvit Alenſonius.
Vltima ad inferias ſolverunt munera turmæ:
Et tota planctus triſtis in urbe fuit.
Tranſvectum a Scaldi excipiunt, gratęque ſepulchro
In tritavi corpus depoſuere Brygæ.

Iacobi Soliaci Aſſaraci Lemovicis.

QVid tumulis hęres iſtis intente viator?
Aſſaracum heic duro marmore claudit humus.
In quo Soliacę gentis decus omne renaſci
(Si Fata hoc poſſent tollere) debuerat.
Dum patriæ juſtis hoſtes ulciſcitur armis,
Ad Ligerim pulchro vulnere fuſus obit.
Parcæ immaturo truncarunt funere vitam.
Quam Virtus duplici fœnore reſtituit.
Haud moritur totus, quamvis ſit lumine caſſus,
Fortia qui potis eſt & gerere, atque pati.

Petri Ronſardi Vindocini.

LVgete Aonides, ſimulque fuſis
Stillent undique lacrymis: lyræque
Mœſtum & flebile perſonent. Amores
Blandi, & vos Charites facetiarum
Oblitæ, ſaliumque, quaſſa crebro
Planctu tundite pectora: & choræis
Nec poſthac juvet immorarier, vel
Vocalem digitis chelym increpare.
Huc concurrite crinibus ſolutis:
Et ploratibus ejulatibuſque
Strepant omnia: triſtibus querelis
Parnaßi reboet virens cacumen.
Priventurque ſuo nitore lauri,
Et molles hederæ, breveſque myrti.
Luctum Gallia publicum ecce cunctis
Indixit. Iacet heu jacet patronus
Ille Caſtalij chori & Sacerdos
Ronſardus, citharam ſonare Grajam
Gallos qui docuit modos, ſuiſque
Qui Celtis Helicona pandit: hiſque
Oſtendit liquidæ vadum Hippocrenes,
Illum condidit hoc Apollo buſto:
Aureaſque comas ſcidit, deditque
Sciſſas inferiis: rogique flammis
Munus nobile barbiton cremavit.
Leſſum ducite: cantibuſque pullam
Ter circum tumulos vocate pompam.
Sacri ſolvite Manibus poëtæ

Munera ultima: ferte thura: ferte
Stactem: ſpargite floribus ſepulchrum:
Spicâ perpetuò locus Ciliſſâ
Spiret, Aſſyriique odore moſchi.
Locum hunc Pythius eligit relictâ
Delpho & Phocide: Phœbas enthea unde
Sacra oracula vatibus patente
Cortinâ, atque adytis canat recluſis.
Cognomen veteris Clari, atque Cyrrhę
Nunc odit: Lyciique Deliique
Rejicit titulos procul: ſed eſt jam
Ronſardus patiens Deus vocari.
O nulli decus hactenus tributum!

Hugonis Babeli Philoſophi Hippolytani.

CVjus relliquias tegit hic lapis? oſſa Babeli hac
Aonidum comitis contumulantur humo.
Ille Brabantini eſt qui Buſlidiana Lovani
Inſtruxit ſummâ docta Lycea fide,
Quem Graiis olim ſcriptis intenta juventus
Pandentem coluit dogmata Ariſtotelis.
Atque explanantem veterum ſecreta Pelaſgûm:
Quicquid & implicitis hæret in hiſtoriis.
Sectatus Muſas ſtudiis, & cælibe vitâ,
Bis deciman ingreſſus vidit Olympiadem.
Dumque ſui Phœbi ſacras inſervit ad aras.
Exegit ſeros abſque labore dies.
Funde ſacro cineri flores & thura, viator.
Atque ævum incolumi tranſige ſorte tuum.

Veturij Leontii Hydruntini.

QVid te magnifici gravis ſepulchri
Moles detinet, hoſpes? inque pictis
Hæres marmoribus? Rogas in urna hac
Cuius ſint cineres? habeto paucis.
Hęc ſub buſta Veturius quieſcit,
Magnus ille Heliconidum ſacerdos,
Martis delicię ſui atque alumnus,
Hydrunti geniale ſidus: ille
Quo nil doctius aut magis politum,
Nihil comius aut magis benignum,
Nil robuſtius aut magis virile,
Nihil nobilius magiſve clarum
Tellus Itala poßidebit unquam.
Virtus nil tamen hac ſevera Fata
Flexit, quin ſubitum hauſerit venenum
Peſtis Euganeę: & dies ſupremos
Vitæ clauſerit Adriæ ad paludes.
Illum Apollo gemit, comiſque ſcißis
Plorat Pieridum chorus, Chariſque, &
Quantum eſt nunc hominum eruditiorum.
Audis, & lacrymæ fluunt ocellis.
Hoſpes: eſſe animæ bonæ probaris:
Cùm te publicus hic dolor laceßit.

Lælii Cleopaſſi Hydruntini.

NOſtræ quiſquis ades viator urnæ
Spectator, monumenta mœſta luſtrans:
Quæris qui fuerim? quibuſve natus?
Quis vitæ fuerit ſtatus moduſque?
Hydruntus patria eſt: parens uterque

Primâ nobilitate Iapygum orti.
Me Libetrides, atque Apollo amarunt:
Et manu inſtituit ſua Gradivus.
Naupactum, & bimaris ſalum Corinthi
Me ducem horruit: & meam probarunt.
Cyprus, & Melite, Illyriſque dextram.
Peſtis Euganeo nocens veneno
Stravit: Appula humus dedit ſepulchrum.
Summo ſpiritus eſt polo receptus.
Vixi luſtra novem, dies duos ſi
Demas de numero undecimque menſes,
Quid ultra? Cleopaſſus heic quieſco.
Plura ne rogites. vale, atque vive.

Octaviani Cleopaſſi, Lælii filii.

PArve puer, quem vix plenâ trieteride mater
Viderat, es Parcis parva rapina tribus.
Si caperent, Divæ, vos grandia nomina, nere
Huic totam Phryxi debueratis ovem.
Sed titulis nulla eſt heic gratia, Virtutique.
Omnia mors æquâ ſternit iniqua manu.

Sfortiæ Hugonii Brixiani, Fortunati filii.

PArce locum hunc hoſpes plantâ violare moleſtâ:
Heic ſitus eſt Veneris Sfortia deliciæ.
Funde roſas cineri, da candida lilia buſto,
Mixtaque Coricio cinnama lecta croco.
Nulla heic aſſurgit graviori pondere moles,
Mollia ne durus comprimat oſſa lapis.
Theobaldi Boiſſardi I. C. Patris ſui.

HÆc tibi, care parens, mœſti cum conjuge nati
Buſta parant multis ultima cum lacrymis.
Accuſantque tua crudelia funera mortis:
Et duram Lacheſin, dúraque Fata vocant.
Solatur triſtes ſpes hæc tamen una querelas,
Quòd iuſta parvam rexeris arte domum.
Quòd conjuncta deo mens, irreprehenſaque vita,
Et laudata bonis & ſine labe fuit.
Altaque percipias ſperati gaudia cœli.
Hæc eſt electis munere parta quies.

Ejuſdem.

HOc, ubi poſtremos vitam traxiſſet ad annos
Boiſſardus patrio condidit oſſa ſolo.
Vixerat ille ſatis jam naturæque ſibique:
Cognatæ domui ſed patriæque parùm.

Ejuſdem.

NAtorum hac pietas Theobaldum cõdidit urna:
Pro patre quòd caro non potuere mori.

D. O. M. S.
THEOBALDO BOISSARDO
NEGOTIORVM CIVILIVM
PROCVRATORI: ET
IOANNAE BABELAE
PARENTIB. OPTIMIS
B. B. M. M.
MOESTA LIBERORVM
NEPOTVMQVE PIETAS
H. M. P. C.

Ioan-

Ioannæ Babelæ matris ſuę.

HOc jacet tumulo Babela, primus
Matronarum honor, ad Dubis fluenta
Quas parvi Hippolyti tulere ripa.
Hæc virum officio fideque ſemper,
Atque amore ſecuta ſingulari,
Octavo genitrix vocata partu eſt.
Quinti exacta ſimul quibus decenni
Poſtquam eſt vita quieta, læta, concors,
Et rei indiga núllius, maritum
Mandavit patrio ſuum ſepulchro,
Vingintique iterum ſuperſtes annis,
Quibus bis geminũ addidit decẽbrem,
Servavit viduos anus penates;
Cultrix relligionis, & ſacrorum,
Quæ priſcus patriæ docebat uſus.
Atque inter calathos, coloſque natas
Exercens, ut acu decente quaſvis,
Formas pingere, vividoſque vultus
Poſſent auxilio ſuæ Minervæ.
Tandẽ has blandus Hymen toro jugali
Addixit, thalamoque nuptiali.
Iam nati poterant domi nepotes,
Et longo ordine filii nepotum
Tenellis aviam vocare labris.
Quæ vitam inſtituit mori ut parata.
Multis profuit, obfuitque nulli,
Pari pectore fronte nata eadem.
Et ſine invidia doloque ſeptem &

Nonaginta hyemes, decemque ſoles,
Et menſes totidem integrè peregit.
Tandem annis ſatura, è vocante cælo
Defuncta occidua eſt anus ſenecta.
Hos cum fratre ſuo ſororibuſque,
Dum ſolatia præparant dolori,
Sanctæ cum lacrymis, pioque planctu
Boiſſardus titulos locat parenti.
At tu quiſquis es, o bone hoſpes, hæc dum
Securus legis inſcius futuri,
Ediſcendo aliena facta, & acti
Temporis ſeriem, neceſſitatem
Communem hanc quoque te ſequi latenter,
Et certò ſtatue: atque comparato
Hanc vitæ rationem, ut in futuro
Abrumpentibus atra fila Parcis,
Nunquam pœniteat prius peractæ.

Margaris Boiſſardæ, Theob. fil.

HEic mater, natique duo, & biſquinque nepotes,
Quos ſimul extinxit peſtis acerba, jacent.
Omnibus una dies lethum intulit, omnibus una.
Communem functis terra dedit tumulum.
Diſcite mortales tenui quàm ſtamine vita hæc
Pendeat: inſtabili quàm ruat illa gradu.
Qui modò florenti curſu tranſegimus ævum,
Nunc muti Manes, pulvis, & umbra ſumus.
Felices hodie rebus ſuper eſſe ſecundis.
Vos tamen hic omnes exitus unus habet.

Claudiæ Boiſſardæ, Theob. fil.

HOc tumulata jacet Boiſſardi Claudia buſto,
Matrona antiqua clara pudicitia.
Cui ſtudium fuſi, telę, calathique, colique,
Textaque, & artifici ſtamina ducta manu.
Gnara placere viro, caſtos ſervare penates,
Et prolem exemplis ſcita docere bonis.
Hęc cùm biſquino impleſſet trieterida luſtro,
Menſes biſgeminos tergeminoſque dies,
Reſtituit Superis animam, unde duxerat ortum:
Terræ mortales reddidit exuvias.
Quiſquis pręteriens viſes loca ſacra, Viator,
Et tacito titulum marmoris ore leges:
Intra te dices: Manes ſalvete beati:
Conditaque æternùm molliter oſſa cubent.

Richarti Malarmęi Veſuntini.

HEus, hoſpes, modicùm ut morere marmor
Erectum rogat, & legas brevi quod
Mandatum eſt titulo. Heic cubat Richartus
Malarmęus honos Veſuntionis,
Antiquę probitatis æmulator.
Hoc non juſtiùs æquiúſve quiſquam
Tota vixit in urbe, quam ſagaci,
Vt civem patriæ optimum decebat,
Iuvit conſilio, labore, & ære.
Poſtquã annis ſatur, & gravis ſenecta
Repoſcenti animam Deo dediſſet,
Terreſtres tumulavit hac humo uxor
Mœrens exuvias, piique nati
Ianus & Ludovicus atque Francus.

Qui pullis humeros togis amicti,
Triſtes inferias, atram cupreſſum,
Et nardum, & caſiam, atque odora ſerta,
Et plenis Nabathæa thura acerris,
Munera ultima Manibus parentis
Solverunt. Datus eſt cinis ſepulchro:
Cœleſtes animus polos reviſit,
Fama percelebri relicta ubique.
Quis felicius ordinare vitam,
Et finem expeteret beatiorem?

Antoniæ Bercinæ, Richarti Malarmæi uxoris.

DEfuncto ſtatuit tumulos Bercina marito,
Communi cupiens funere poſſe tegi.
Sed tutela domus & tres pia pignora nati
Suaſerunt viduos huic tolerare toros.
Aſt annis poſtquam juvenes adoleſcere viſi:
Maternaque illis non opus eſſet ope,
Algentis cineres repetit Bercina mariti:
Sic viſa eſt natis fida viroque ſimul.

Franciſci Malarmæi, Richarti filii.

FVnerea quicunque vides frundere cupreſſu
Buſta, & Oronthæo thure fragrare locum.
Condi hac diſce, Hoſpes, Franciſcum mole ſepulchri
Stirpe Malarmæa quem tulit ora Dubis.
Occubuiſſe dolet me mœſta Veſuntio: tantum eſt
Carum ob virtutes civibus eſſe ſuis.
Quiſquis in humanis ſpem cenſes poſſe reponi,
Heic quo (ſi ſapias) erudiaris habes.

Lu-

Lubrica veſanæ attentus ludibria ſortis
Cerne, volubilibus continuata tropis.
Nil mihi divitiæ, nec aviti gloria censûs
Profuit, aut ſumma laude paratus honos:
Patricia aut de gente genus traxiſſe celebres
Terribili mors hęc omnia falce metit.
Tutiùs in ſilices impinget fragile vitrum:
Firma erit oppoſito ſtiria ſole magis:
Quàm quæ vita homini Fatis malè cedit iniquis:
Quæ miſerè expoſita eſt undique mille malis.
Sed mihi præſidium non expugnabile Virtus
Extitit: hac felix vindice tutus ago.
Parte mei meliore colo cœleſtia regna:
Membra, ſolo & morti debita, terra tegit.

Domitii Faini Veronenſis.

HOc ſub marmore quis jacet? Fainus,
Hoſpes Aonii chori atque amicus.
Integerrimus omnium, optimusque
Quos Antennoris urbs tuliſſe ſæclis
Multis creditur. At capax duorum,
Cùm ſit únius, eſt locus ſepulchri.
Hoc ſimul tumularier volebat
Major pars animę íllius Iacobus,
Infelixque dolensque, quòd ſuperſtes
Solis ſuſtineat jubar, ſodale
Sublato ſubitæ tumore peſtis.
Quòd ſi inferre manus ſibi liceret,
Fixiſſet gladio fidele adacto
Pectus, & ſociis regum ſubiſſet

Vterque exequiis: Negavit illi
Mors dura officium, ut dolore tandem
Confectus cruciatibusque longis
Exoſam toleret miſer ſenectam.
Hoſpes qui legis hæc, meoſque luctus
Vides, ſi pietas ineſt tibi ulla:
Si fortè illius es rigoris expers,
Qui gentem antipodum tenére fertur:
(Commentum niſi fabulamve credas)
Dum riſu atque jocis ſuos amicos
Efferunt, verubuſque caccabiſque
Excoctos epulis vorant cruentis:
Noſtri ut te moveant precor dolores:
Hoc per numina cuncta, perque amicos
(Si quos fortè habeas) rogo, & ſepulto
Preceris benè: non quòd is tuarum,
Summa qui ſuper eſt relatus aſtra,
Sit precum indigus: Id tamen levamen
Boiſſardo fuerit. Bone hoſpes, hoc eſt
Quod te ſcire volebam. Abi, valeque:
Amiciſque tuis diu fruare.

Ejuſdem.

HOſpitum decus omnium Fainus
Quotquot ſunt Patavi heic jacet: dolete
Qui fontes Aganippidum ſororum
Viſuri Euganeam petiſtis urbem.
Damna hinc maxima publicê redundant,
Nunquam fortè reſarcienda: namque
Candoris ſimul & fidelitatis,
Et quicquid fuit hoſpitalitatis

Intra

Intra mœnia,ſecum habet ſepultum.

D. O. M.
DOMITIO FAINO VERONENSI
VIRO INTEGERRIMO
IA. IAC. BOISSARDVS
VESVNTINVS
AMICO SINGVLARI
HOSPITIQVE OPT. D. S. M.
H. M. P. C.
VIX. ANN. XLII. M. IX. D. VI.
O. AN. SAL. M.D.LXXVI. EID. AVG.

Ejuſdem a Paulo Meliſſo.

Domiti Faine,cujus
Verona Letum patria
Hodieque luget,atque
Planctu dolorem & lacrymis
Atheſis,piæque Nymphæ
Teſtantur, ut vitalibus
Spoliavit ipſa te auris
Crudelis Atropos, Atropos
Inimica dira amicis,
Hoſtiſque atrox ſodalibus,
Niveum heu tuum ſodalem
Boiſſardum, amicumque optimum
Viden,o pia umbra, quali
Quantoque damno adfecerit?
Moriente te, Faine,
Boiſſardus appetens mori,

Spoliatus ipſe & aura,
Intra ſe ſui orbus eſt.
Animo licet vigentem
Cernas, & valentem corpore,
Tamem ex dolore tanto
Vivum putabis mortuum.

A Ioanne Poſthio Germershemio, Elect. Pal. Archiatro: aliud.

LVgete o Aganippides puellæ,
Et quantũ eſt hominum eruditiorũ:
Et vos ante alios boni Poëtæ.
Veſter occubuit patronus eheu:
Veſter mortuus eſt Fainus ille,
Veronæ decus Vrbis, atque ocellus:
Patris deliciæque amorque Phœbi:
Muſici gregis, omnium & bonorum
Omni tempore liberalis hoſpes.
Ille eheu, ille bonus Fainus æthra
Tactus peſtifera reliquit auras
Vitales ſubitò, furente dextra
Dum mors Auſonias flagellat urbes.
O factum malè, o maligna Fata.
Quæ prima optima quæque devoratis.
Verùm parte ſui manet ſuperſtes
Fainus meliore ad aſtra vectus,
Virtutumque ſuarum in orbe dignos
Præcones habet. Hunc canit Pinellus,
Muretusque, Sigoniusque, & Aldus,
Boiſſardusque meus, mihique ſummo
Ancantherus amore amandus, atque

Meliſſus meus: o nimis beatum,
Et cœlo genitum favente, vita
Cui poſt fata datur nova & perennis!

A Friderico Leſſotæo Steblæo Sileſio: aliud.

SIſte gradum: tanti parva eſt jactura, viator,
Temporis: & mea ſunt nomina digna legi.
Hac ego Muſarum fautorque hoſpeſque Fainus
Condor ab immiti peſte peremptus humo.
Vnanimis tumulum Boiſſardus amicus amico,
Et titulos (Parcæ ſic voluere) dedit.
O me felicem, qui tanti munere vatis
Vitali caſſus lumine, vivo tamen:

Polydori Marini Epirotæ.

NOn oblita tui es, Lacheſis, quæ fata bonorum
Díceris injuſta pręcipitaſſe colu.
Ergo jaces, Polydore, genus nec juvit avitum,
Quod quondam Epiri ſceptra beata tulit,
Non te Regis amor Galli ſervavit, & illa
Deſponſata tuo Moÿa Nympha toro.
Non Epernonii texit tutela favoris:
Non lepidis cultum moribus ingenium.
Vna eadem eſt cunctis lethi via. Regibus idem,
Qui de plebe ſatis, exitus eſſe ſolet.
Nec ratio ętatis, nec conditionis habetur.
O rigidum auſteri numinis arbitrium!

Vvolfii Munzeri, Equitis Franci.

QVi tumuli, quos æra tegunt radiantia latè?
Signaque diverſis ſplendida marmoribus?
Heic jacet antiquo Francorum ſtemmate cretus
Munzerus claræ nobilitatis eques.
Ortum cui Bamberga dedit, vitamque polivit
Longis Europa eſt quę peragrata viis.
Et Ptolomęa Pharos, Nilo & contermina Memphis:
Et Syrus, & rapido ſole peruſtus Arabs.
Excepit reducem reſpublica Norica, & omne
In civem meritum contulit officium.
Quam (quia dum vixit contento cœlibe vita
Conjugii dederat pignora nullus Hymen)
Hęredem inſtituit fortunarum atque peculi,
Prędives gaza quod locuplete fuit.
Huic memor æterna cumulato laude Senatus
Hęc ad Pegneſi flumina buſta locat.

Lentuli Ventidii Nucerini, & Proſperi fratris ejus.

LEntulus hac clauſus, Proſperq́; Viator, in urna,
Fratrum Benaco fata gemente, cubant.
Doctus uterque, animique bonis pręclarus, & armis:
Nam propria inſtruxit Pallas utrumque manu.
Occubuere tamen validę ſub flore juventę:
Nec tantę caros profuit eſſe Deæ.
Ardua nec juvit vivaci in pectore Virtus:
Neſcit Parca ullis parcere nominibus.

Hieronymi Capovaccii Medici Patavini.

ILle ego qui ſolitus Stygii frænare Charontis
Auſa, & fatales arte domare colos:
Senſi proh dolor, heu ſenſi implacabile numen:
Et tandem imperio Parca ſubegit atrox.
Nil animo nocuit, cœlo quem Iuppiter alto
Intulit: at corpus contegit iſte lapis.
Servavit famam Virtus, quâ vindice dicor
Integer, & nullo tempore poſſe mori.

Alphonſi Aiallæ Hiſpani.

SI vitam manus ad duella nata,
Si fortes animi, metuque nullo
Quaſſa pectora, viſque vel Gradivo
Digna, & conſilium decens Minervam
Tutari potuiſſet, atque pullæ
Tela obtundere mortis, invidendum
Fatis, plurima Olympias valentem
Vidiſſet. Tacitis cruenta repit
Falx Parcę inſidiis, metens ſine ullo
Nos diſcrimine. Gratiam meretur
Nullam conditio, ſtatus, nec ætas.
Diverſis ſtudiis mea eſt juventus
Culta: Caſtalios bibi liquores:
Linguarum que peritiâ celebris
Audivi. Heſperięque utrique carum
Virtus bellica reddidit: meamque
Senſerunt Nomades Getęque dextram.
Tricenos numerãtem, & undecim annos,
Nihil tale timentem atrox venenum
Peſtis me rapuit malę, inferique

T

Sacravit Stygiæ rati Charontis,
Atallam Elyſię inſerens cohorti.
Sic ſuos patitur perire Virtus?

Theodori Zozimi.

GRæcus Olympiaca Theodorus ab Elide Romam
Culturus Latiis moribus ingenium
Veneram: at in Latio me mors inopina peremit.
Roma Quirinali colle dedit tumulum.
Gręco homini, Latii Manes, eſtote faventes:
Et placidè buſtis his facitote cubem.
Omnibus æquus erit Patris ſuprema poteſtas
Extremi Chriſtus tempore judicij.

Franci Apollodori Veneti
Pictoris.

INteriit Phidias, & præclaræ artis Apelles:
Mortuus eſt multo cultus honore Myron.
Totque alii, quorum ſæclis ſervata vetuſtis
Sacrata eſt priſcas fama per hiſtorias.
Ex æquo imperitat Fatum omnibus, una ſuperſtes
Parcarum Virtus ſtamina pulla fugit.
Debetur corpus telluri: animus petit aſtra
Salvus. Parte bonis hac ſupereſſe ſat eſt.
Sic tu, qui vitam multis doctâ arte dediſti,
Hoſque & te morti ſubripuiſſe juvat.
Æquo animo omni homini communia fata ferendo
Magnanimum tu te, France, fuiſſe probas.

Valentini Grevii Bacfarci
Pannonii.

Mors

MOrs rapuit Greviñ: Manes gaudete profundi:
Ecce iterum vobis fulget amica quies.
Ad vos deſcendit novus Orpheus: ille canorâ
Pannonicæ Ditem leniet arte lyrę.
Siſyphiis ſaxum ex humeris cadet: orbe rotari
Deſinet Ixion, Tantalus amne bibet.
Belides abjicient utres, Tytiique cruento
Ceſſabit rodi vulturis ore jecur.
Miteſcet Minos: Rhadamanton & Æacon umbrę
Gaudebunt torvas depoſuiſſe minas.
Eſte alacres: ac dum ceſſant tormenta, catenis
Exuti, evadat qui potis effugere eſt.
Ad libertatem portis concurrite apertis,
Bacſarco Elyſias ingrediente vias.

Philippæ Lazææ Polonæ.

ILlyricam Sapphoa tegunt hęc buſta, viator:
Ortum Polanâ quę prius urbe tulit.
Carmine cantavit quę geſsit filia Coſti,
Quis Zephyrum Floræ conciliavit amor.
Bombycum laudes, Pyrrhique immania ſacra
Argutâ & facili texuit hiſtoriâ.
Conceſsit fatis, hominum tot millia luci
Vitali eriperet dum Patavina lues.

Eiuſdem.

POla mihi patria eſt: Muſę mea ſola voluptas:
Et ſacer intacta virginitate pudor.
Luſtrorum bis vita trium mihi læta peracta eſt:
Tergeſtina brevem terra dedit tumulum.

Plura rogas? hoſpes: Lazgam marmora cęlant
Iſta, ſui ſexûs & decus Illyrici.

Aeliæ Zabarellæ, & Siluiæ Filiæ ejus.

HAc non vulgaris forma jacet Ælia terrâ:
Fœmina ſed rarâ clara pudicita.
Silviaque ingenuos mores ſectata parentis:
Sed matrem ſuperans carmine & arte lyræ.
Hujus erat thalamis jam deſponſatus Achilles,
Bellochari ſoboles ingenioſa ſenis.
Ingruit atra lues Venetam graſſata per urbem,
Quæ letho viatam cum genitrice dedit.
Indoluit juvenis: tollenſque ad ſidera palmas,
Exclamat: miſero da mihi Cypris opem.
Annuit: ille die morti ſuccumbit eodem:
Sed non implevit cætera vota Venus.
Nam Veneti buſto patris eſt tumulatus Achilles:
Euganeo clauſa eſt Silvia ſarcophago.

Iannûs Beretinæ, Petri Lepidi Metenſis primæ uxoris.

LOnga diu tituli teneat ne lectio noſtri,
Hoſpes, te: tumulis his Beretina tegor.
Maturam thalamo jam me tria luſtra videbant,
Cùm Lepido fauſtus me ſociavit Hymen.
Binâ prole parens fuerat vir: tertia quando
Curaret partus Ilithyia meos,
Adfuit auxilio nobis, Statilinus iniquo:
Nec juvit nixus ſęva Levana graves.
Vidiſſes Fatis obſtare Machaonas omnes:
Sed matrem & ſobolem ſuſtulit atra dies.

Quid tu ſuſpiras? lacrymiſque per ora profuſis,
O hoſpes, ſortem noſtraque fata doles?
Cara viro exegi felices hactenus annos:
Ætas acta brevis, ſed ſine nube fuit.
Ecce locata polo vita meliore fruiſcor:
Quæ ſit ad immitem non reditura colum.
Grata tua eſt pietas: Tu longum vive per ævum:
Sed reſtare tibi fata ſuprema memor.

Mariæ Lepidæ Petri ſenioris filiæ.

SI roſa, ſi violę, ſi mollis amaracus iſtos
Perpetuo ad tumulos veris honore nitent:
Si buſto Idalię faciunt umbracula myrti:
Si ſparſus variis floribus halat ager:
Non eſt quòd nimiùm attonitus mirere, Viator.
Condidit heic Paphius nam ſua tela puer:
Et Cypris alma faces: Lepidę pullata feretrum
Lethæa inſtrueret dum Libitina pyra.
Cinnama mœſta Charis puros conjecit in ignes:
Et Panchæa dolens thura adolevit Amor.
Ac fuſis lacrymis dixere noviſſima verba:
Conſcius & ſenſit dona ſuprema cinis:
Felix umbra, tua tranquilla pace ſub urna
Dege: levis tellus ſit tibi: Have, atque vale.

Annæ Bellææ, Petri Lepidi aviæ.

TEmpora longevę ſtatuit tranquilla ſenectæ
Queis voluit facilis cœlitus eſſe Deus:
At ſtatus iſtiús fecit miſerabilis ævi
Ne multi hac poſſent conditione frui.

Felices placidè hac tellure quieſcite Manes,
Dum Chriſti veniet judicis illa dies:
Corpora in integrum quæ reſtaurata reſurgent:
Et formam hæc capiet machina magna novam.

Iuliæ Aubriæ, Iani fil.

HVmanæ quis non miretur ſtamina vitæ,
Quæ dubia Fati ſunt glomerata rota?
Hac ego cura mei non importuna mariti,
Et tutela domûs Iulia condor humo.
Lucinæ primo jam facta puerpera partu,
Actæis dederam dulcia liba favis.
Bis duo vicenos numeranti luſtra per annos
Injecit dextram Parca cruenta mihi.
Aſtra adii: corpus mœſti hac tellure locarunt
Cum lacrimis carus vir, geminúſque parens.

Gabrielis Dieſpachii Abbatis Vallisclusæ, & Canonici Veſuntini.

Hoſpes ſiſte gradum parumper: atque hoc
Quod ſaxum velit & loquatur audi.

HEic ſunt Dieſpachii ſita oſſa: cujus
Morte mœſta Veſuntio gemiſcit.
Non illo melior, pientiorve,
Non prudentior, eruditiorve,
Quiſquã ad flumina Sequanæ Dubiſq;
Eſt viſus, vel amantior ſuorum.
Qui poſtquam benè de ſuis merendo,
Amplis functus honoribus, ſecundo
Eſſet tramite vitam adeptus, annis

Mors gravem abſtulit, intulitque cœlo.
Diſce hinc, diſce hominum ſtatum caducum:
Diſce ſpes fragiles, dies fugaces,
Parcarumque colos cruenta Fata,
Nulli parcere quæ ſciant velintve.
Hinc prudens tibi provide: tuiſque
Rebus conſule dum licet. Valentem
Aurora excipiet, videbit ægrum
Veſper: nox tenebris, nigræque morti
Tradet, lethifero tegens ſepulchro.
Hæc ſi mente tenes, abi in bonam rem:
Sed ſemper memor ultimi receptûs.

Iacobi Chaſſigneti, Medici Veſuntini.

SOllicitis hæres oculis dum, care Viator,
Et te ſuſpenſum detinet iſte lapis,
Poſcis cui buſta hæc triſtis Libitina pararit?
His Chaßigneti molliter oſſa cubant.
Ille Machaonia florens celeberrimus arte,
Devotis patriæ profuit officiis.
Optimè & hæc merito poſt fata noviſsima civi
Æterno clarum nomen honore ſacrat.
Cœlo anima excepta eſt: ſed vivit fama ſuperſtes,
Parcarum immites deſpiciens calathos.
Mœſtaque natorum pietas, & flebilis uxor
Defuncti hoc corpus depoſuere ſolo.
Hoc tituli te ſumma docet: da thura, Viator:
Et cineri ut fueris fauſta precatus, abi.

Henrici Magneri, Præfecti Monaſterii ſancti Vincentii Veſuntione.

Nil

NIl heic flebile conſpicis, Viator:
Nil quod funerea notet cupreſſu,
Aut planctu, aut lacrymis comiſque vulſis,
Aut dolore aliquo fuiſſe buſta
Laceßita. Virente picta ſerto
Vere perpetuo albicans liguſtrum
Produxit, violaſque humus: ſepulti
Candorem ut notet, integramq; mentem.
His dignum putat eſſe ſe: & quadrare
Illa, quos miſeranda vita mœſtis
Ad mortem exequiis coëgit. Atqui
Henricus jacet heic decuſque honoſque
Hujus cœnobii, Veſuntionis
Ornamentum, & amor novem ſororum,
Et Phœbi Charitumque: veritatis,
Recti, æquique tenax. Suo ſed ævo
Quòd paßim pietas, Deique cultus
Nullo vindice languidus jaceret,
Rogavit Superos, & impetravit,
Maturê ut peteret polos: priuſquam
Hanc (quæ eſt præ foribus) ferat ruinam.
Hoſpes optime, compotem eſſe voti
Si gaudes, benè Manibus precando,
Vitam illi quoque proſperam precantur,
Et ſemper tibi ſit benè & beatê.

Antonii Paſcharii.

ADſta hoſpes modicùm Paſcharius heic jacet: ille
In celebri clarus qui fuit Auſtraſia.
Occubuiſſe doles? eadem tibi funera reſtant:
Me quondam hac genuit conditione parens,

Vt morerer Superis aliquando volentibus: atqui
Mortalis ſubii fata ſuprema libens.
Propoſita una via eſt cunctis ad flumina Lethes.
Parcarum meſſis nos lacrymoſa ſumus.
Sed placuiſſe Deo ſatis eſt: Tellure ſepultum
Eſt corpus: cœli Spiritus aſtra colit.
Nominis æterni conceſſa loquacibus annis
Fama eſt: An non hoc vivere bis vivere eſt?

Caroli Renaldi Pontimuſſani, Collegii S. Servatoris apud Mediomatrices Decani.

CArolus hoc buſto tegitur, non mortuus: ille
Haud moritur, Virtus quem vetat alma mori.
Sed vitam mutans vita meliore caducam,
Cum Chriſto victa morte quietus agit.
Diſcite mortales Fatorum quanta poteſtas
Rebus in humanis ludat & imperitet.
Cui modò ſacratam velaverat infula frontem,
Dum ſummo offerret thura adolenda Deo:
Vix totam a ſeno complens trieterida luſtro,
Funeſtus tumulo hoc pulvis & umbra cubat.
Fortunæ trochus omnis homo eſt: quo firmior eſt quæ
Enata in ſummis bulla videtur aquis.
Nitimur incaſſum ætatique, opibusque paternis:
Adſcribit prædę nos Libitina ſuę.
Sed falci mortis nos eripit unica Virtus:
Nos donat cœlo, conciliatque Deo.
Hujus præſidio fultus ſuper aſtra relatus
Pace fruor: texit putre cadaver humus.

Clau.

Claudii Sartorii Metenſis.

HAc ſitus eſt patriæ columen Sartorius urna:
Quem patria e vivis mœſta abiiſſe gemit.
E vivis abiit, quia vivere deſiit inter
Mortales, cœli poſſet ut arce capi.
Nemo bonus moritur. Virtus eſt funeris expers.
Illa ſuis facilem pandit ad aſtra viam.
Quodque malis mors eſt, & ineluctabile Fatum,
Hoc eſt præſidium, vitaque certa bonis.
Felix, Virtuti qui ſeſe dedicat: illa
Lethæas nunquam vindice guſtat aquas.

Hugonis Dordonæi, Præſulis Hippolytani.

HEic jacet eximia cultus pietate ſacerdos,
Eſſe pari ſuetus pectore fronte pari.
Iuſticiæque tenax, & moribus integer æquis:
Fidus, & antiqua ſimplicitate bonus.
Da cineri flores, tumulis intente Viator.
Ingenuum pietas nam decet iſta? vale.

Nic. Clementis Trelæi Viſeliſii.

AVdi, qui legis hęc, funeſtaque marmora luſtras:
Hoc Clementis ſunt oſſa repoſta ſolo.
Ad cujus numeros Brennon, vitreuſque Moſella
In liquidis curſus detinuere vadis.
Atque choros mediis duxerunt Naiades undis,
Plaudentes ſuavem Vatis ad harmoniam.
Huic pater inferias planctu lachrymiſque paravit:
Quod patri natus debuit officium.
Sparge ſacro cineri flores & thura, Viator:
Munera placatis Manibus iſta placent.

Mors etenim obſcuris totum non obruit undis,
Quem prohibet vindex Muſa & Apollo mori.

Petri Monavii Vratiſlavienſis, Medici Cæſarei.

SI prece, ſi precio, ſi vi reparabilis eſſet
Vita, ego millenas viverem Olympiadas.
Exorare etenim Parcarum mœſta Budorgis
Penſa breveſque colos quæ potuiſſet erat:
Ditia Cæſareę voluere æraria gazæ
Solvere munifica multa talenta manu.
Sed nimium eſt rigidi dura inclementia Fati:
Heu, novit nullis parcere nominibus.
Non mihi Apollineas coluiſſe fideliter artes
Profuit, & patriæ conſuluiſſe meæ.
Non juvit magno officiis placuiſſe Rudolpho:
Cæſaris & tanti promeruiſſe fidem.
Quin mihi Lethęa Lacheſis redimita cupreſſu
Eriperet caris lumina luminibus.
At non eripuit lumen: mortale cadaver,
Vt viſum eſt Superis, hac tumulatur humo.
Cœlo anima excepta eſt mortis ſecura ſecundę:
Heic mihi perpetua vivere pace datur.
At tu, quem noſtri movere incommoda caſûs,
Quid luges? iſtis pone modum lacrymis.
Deſerui vario concuſſum turbine mundum:
Vt noſtram acciperet mitior aura ratem:
Et mihi ſunt dubia ſuperata pericula ſortis:
Ætherea capior nunc ſtatione redux.
Grata tamen pietas hęc eſt tua. Dj tibi dulcis
Prolongent vitæ tempora fauſta. Vale.

Iulii Boiſſardi, Iacobi fil.

SIſte gradũ, o Hoſpes: nõ heic mora lõga futura eſt:
Iulius exiguis contegor his tumulis.
Dulcia debueram patri dare gaudia: ſed me
Præcipiti rapuit mors inopina manu.
Adfuerat Lucina favens, dum præcoce partu
Octavo dicta eſt menſe Marilla parens.
Æthereas hauſi teneris vagitibus auras,
Aucturus patrium poſteritate genus.
Fata obſtant: pulloque mihi de ſtamine vitam
Net Lacheſis: Clotho forfice penſa ſecat.
Vix revoluta novo radiabat Cynthia cornu,
Infanti injecit cùm Libitina manus.
Funera cum planctu curarunt noſtra parentes:
Thuraque cum lacrymis ultima fudit avus.
Aſtra peto, & vita felix meliore potitus,
In media inventa eſt nunc mihi morte ſalus.
At tu ſecuræ peragens bona tempora vitæ,
Te quoque mortalem noris: have, atque vale.

De eodem.

IVlius heic ſitus eſt: quẽ ad flumina glauca Moſellę
Boiſſardo enixa eſt caſta Marilla patri.
Huic trux pro cunis ſtravit Lucina feretrum:
Et lucem ſubitò quam dedit eripuit.
Iuli noſter amor, Iuli dulciſſime Iuli,
O Iuli thalami gaudia prima mei:
Tantùm oſtenderunt terris te Fata, nec ultra
Immites Parcæ te ſupereſſe ſinunt.

Inter cœleſtes genios, animaſque beatas
Æterna cœli ſidera pace colis.
Felix es, cui parta quies: nos mœſta manet ſors,
Perpetui gemitus, perpetuę lacryma.
Ergo vale æternum: ceſpes candente ligustro,
Et viola, & vernę ſpiret odore roſæ.
Naturę exuvias, & morti debita membra
Triſtis uterque parens contegit his tumulis.
Heic tenerum fragili corpus claudatur in urna:
Oſſa tamen tellus non oneroſa premat.

Ditmari Ciſlebii.

NObile Saxonicę columen Ciſlebius oræ
Hac, ut permiſit ſors, tumulatur humo.
Aurea tollentūr rutilantè toreumata ſigno:
Opportuna iſtud tempora quando ſinent.
Nunc ſolis tumulos lacrymis ornamus amici:
Non plura indulſit nam minūs apta dies.
Non quod ſit Virtus ornamenti indiga, per ſe
Fulget enim, & laudes continet ipſa ſuas.
Sed gaudent cultis Manes recubare ſępulchris:
Eſt quibus extremo funere gratus honos.
Accipe dona igitur, tacitis quę fundimus umbris,
Ditmare: & hoc longa pace quieſce ſolo.

P. Aretini. Ex Italico verſum.

HEic ſitus eſt Aretinus amari vipera fellis:
Propritim famam cui mala lingua dedit.
Evaſit cujus nemo dicteria: functis
Imo etiam ſuevit Manibus eſſe gravis.

Cur

Cur non traduxit numen cœleſte,requiris?
Cauſſa eſt hæc:nullum credidit eſſe Deum.

Fuſci.

Fuſcus mortuus eſt:jacet rubenti
Tinctus murice naſus,& popinæ
Præſes vermiculatus.Ille Fuſcus,
Cujus venter erat gulæ a barathro
Plantas continuatus uſque ad imas,
Capax dimidii cadi, ampliúſque.
Protrahens vigil ad diem tenebras,
(Vt notam fugeret viri otioſi)
Integrumque diem occupans bibendo.
Cui viſum eſt penetrare poſt lagenas
Exhauſtas,ſuper aſtra:& angelorum
Contemplarier ordines choroſque.
Qui ſemper duplicata cuncta vidit:
Illi tanta acies fuit videndo:
In vitro geminum ſcyphoque fundum:
Lampadum geminas micare flammas:
Solem denique, duplicemque lunam.
Qui nunquam ſitiiſſe ſe aſſerebat:
Prævertit quoniam ſitim metreta.
Huic parùm ingenii fuiſſe fama eſt:
Poſteros tamen ex bonis relictis
Ne contentio liſve concitaret,
Prudenti ratione cavit antè,
Nam totum patrimonium voravit.
Peſtis hunc ſubito abſtulit veneno:
Sed non abſque aliquo favore: namque

Ebrium ſine ſuſtulit dolore.

Loca hæc qui peragras, viator, heic te
Gradum ſiſtere paululum rogarem,
Atque hęc cum lacrymis notare: ſed te
Illa udis video genis legentem,
Quas rigant madidis cachinni ocellis.
Ridendos quoque tu æſtimas ſepultos?

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI EPIGRAMMATUM

LIBER PRIMVS.

V

AD LECTOREM.

Ignoſces, bone lector, ad hæc qui lumina flectis,
Si quid mordacis carmina fellis habent.
Dictavit multa indignatio: ſe tamen illis
Nemo mea læſum ſentiet eſſe manu.
Quæ proprium & cognomen habent, ea vera putato:
Cætera ſunt opera nomina ficta data.
Sed plerumque tamen veris accommoda rebus,
Harum naturæ conveniente nota.
Vt Fuſcus, Priſcus, Margites, Chilo, Nydartus,
Congilus & Fucus, Pontia, Nais, Aper.
Atque alii: quorum perſonis parcere viſum eſt:
Sed ſigno aptati nominis exprimere.
Mens mihi nullius famam perſtringere: quædam
In vitium, certê, dicere cuique licet.
Offendi his nemo potis eſt, niſi conſcius: atqui
Propoſitus ſcopus eſt verſibus iſte meis.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI EPIGRAMmatum LIBER PRIMVS.

AD LIBRVM SVVM.

HEVS mea ceſſatis ſuſcepto Epigrammata curſu
Ire Bipontini qua viget aula Ducis?
Ite bonis avibus, tutis licet ire ſub auras:
Securo Princeps vos jubet ire pede.
Boiorum Princeps de ſtemmate nobilis, eſt quo
Exculto nemo doctior ingenio.
Venerat ad calcem librorum fortè priorum:
Cedo alium, dixit, lectio læta placet.
His aliquot gratum eſt horas diſperdere nugis,
Dum vacat, & cura non graviore premor.
Ohe quò Boiſſarde ruis? quis nuncius iſthęc
Aſſerit? aut quonam hæc indice nota tibi?

Quid facis, o demens? unde hæc perſuaſio menti
Hæret? Nempe hæc ſunt ſomnia, ſomnia ſunt:
Nonne vides qui te diſtorto ſibilet ore?
Ac te ſtultitiæ ſcommate jure notet?
Boiſſardo mediam feſtini incidite venam:
Delirat: medico eſt huic opus helleboro.
Tanto etenim credit ſua carmina Principe digna:
Carmina plebeiis auribus apta magis.
Vir bone, cur judex operum vis eſſe meorum?
Mira eſt, confiteor, res ea, vera tamen.
Non ego deliro, nec me perſuaſio fallit
Iſta, venit Clario quę mihi de tripode.
Qui Deus in nobis habitat, mihi vellicat aurem:
Macte, ait, & vanos excute corde metus.
Poſceris en iterum feſtiva Epigrammata, ſi quæ
Sint tibi: nam Princeps talia doctus amat.
Quæ tua ſelectis mandavit Muſa papyris,
Hęc primâ ad auræ flumina mitte viâ.
Quis pudor hæret adhuc? quid ceſſas, noſtra Thalia,
Ire Bipontini quà viget aula Ducis?
Ito bonis avibus, tutò licet ire ſub auras:
Securo Princeps te jubet ire pede.

AD

AD ILLVSTRISSIMVM POTENTISSIMUMQUE Principem

IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariç, Comitem in Veldens & Sponheim.

PRINCEPS care Deis, qui ſtemmata regia, quæ te
Illuſtrant, ornas dotibus ingenii:
Tu licet incumbas ſtudiis gravioribus, ac te
Publica ſollicitum munia detineant:
Paucula quæ poſitis legeres Epigrammata curis
Indulſit rudibus noſtra Thalia modis.
Finge tuis indigna oculis: non hercle refragor:
Sed tuus hæc potis eſt reddere digna favor.
Si placidè excipias, nec tractes poſtmodo, quid tum?
Nil moror: illa tamen lecta putabo tibi.
Et tanquam multa cumulatus laude ſuperbus
Efferar: & credam me meruiſſe legi.

AD EVNDEM.

De duobus ejus filiis Ioanne, & Friderico Caſimiro.

Nobilis Eoïs ales quæ venit ab oris,
Panchæoque ſuos prorogat igne dies:
Illa novem quaſſam renovat poſt ſæcula vitam:
Parturiente rogo cogitur antè mori.
Sed tu dum vivis florente ætate ſuperſtes
Creſcis, ut enatis vinea palmitibus.
Inque tuis natis, Princeps generoſe, renaſci,
Teque novo rurſum flore nitere vides.
Adſpice ut ille tui IANVS cognominis heres
Patrem oculis, naſo, fronte, humeriſque refert.
Induit & vultus puer ut CASIMIRVS avitos:
Et ſuſceptoris pectora dia ſui.
Creſce Deûm ſoboles magnum patriæ incrementum,
Creſce Palatinæ ſubſidiumq́; domûs.
Hercle is divina qui fulget in indole fervor
In vobis, plus quàm mens capit, eſſe notat.
Neuter enim veſtrum magno Virtute Parenti
Cernetur poſthac cedere, neuter avo.

De illuſtriſſima Principe Magdalena, Ducē Gueldriæ: Illuſtriſſimi Principis Ioannis Comitis Palatini, &c. uxore.

Arbitrio ſpeculi faciem dum Cypria comit,
Flávaque concinna timpora torquet acu:
Vt viciſſe juvat natamque Ioviſque ſororem,
Fama inquit, tibi par Magdalis eſſe poteſt.

Indoluit

Indoluit: Phrygiam redeundum, dixit, ad Idam:
Dardanio victrix judice rurſus ero.
Gargara contigerant: ponunt holoſerica nudæ
Texta, quibus roſeo ſubjicit ore Paris.
Hæc opibus Iunonem æquat, Virtute Minervam:
De forma reſtat quæſtio ſola tibi.
Confer te Superis, vinces, formoſa Dione:
Inter mortales, Magdali, palma tua eſt.

In effigies lectiſſimarum Principum, Mariæ Eliſabethæ, & Eliſabethæ Dorotheæ, Illuſtriſſimi Principis Ioan. Com. Pal. fil.

Lector, ad has vertes quiſquis tua lumina chartas,
Prima, & quam facias heic mora major erit.
Exprimere artifici potuerunt iſta labore
Ora, ſed ingenium non potuere manus.
Expoſitus decor eſt oculis: ac judice viſu
Pulchrior eſt nunquam ficta ab Apelle Cypris.
At quę virgineo reſident in pectore dotes,
Et Virtus nulla pingier arte poteſt.
Sed tu ſi quid in his cernas ſpirare tabellis,
Quod dignum forma numinis eſſe putes:
Iudicium libra trutinaſſe videberis æqua:
De tribus heic picta eſt nam tibi bina Charis.

Ad illuſtriſſimum Principem Ioannem Com. Pal. Rheni, &c.

HÆc tibi cùm primis Iani ſint miſſa Calendis,
Poſcimur his, inquis, munera muneribus.
Non importuni quæſita occaſio namque eſt
Temporis: iſta trabax xenia viſcus habent.

His hami ſtrenis tacitè plerumque teguntur:
Argutum docti Principis ingenium!

Ad eundem, in ſymbolum, Plus liceat quàm libeat.

VIva Dei Princeps prudens viventis imago eſt:
Ingenita tibi quod ſat probitate doces.
Non ſemper, quoties peccamus, Iuppiter ira
Ardet, & in ſontes fulmina torta rotat.
Sic quoque ne ſceptri imperio videaris abuti,
Tu mavis liceat plus tibi quàm libeat.

Ad eundem.

IVſticiæ rigidum Clementia temperat enſem:
Nec ſinit exacta cuncta bilance regi.
Inſtitue his ducibus, Princeps mitiſſime, vitam:
Divorum ſic tu rite imitator eris.

De Beatrice Vergeia, Evandelini Cuiſantii Baronis uxore.

SEquanicę regionis honos, quam ſidere fauſto
Ornant nobilitas, gratia, forma, decor:
Te pater ille tuus regum de ſanguine cretus
Vxorem potuit jungere Principibus.
Poſtpoſuit titulos, & grandia nomina (lædunt
Quæ poſſeſſorem ſæpe onerosa ſuum.
Elegit generum de mille Heroibus, illum
In quo erat & Virtus inclyta, parque genus.
Cui Rex Heſperiæ Phryxæi velleris auro
Inſignem torquem manus habere dedit.
Cui patria æternos merito ſacravit honores,
Laudibus illius nomen ad aſtra vehens.

Hujus

Hujus juncta toro tæda matrona jugali,
Pulchra illum facies poſtmodò prole patrem.
Et Cuiſantinæ ſervabis ſtemmata gentis,
Illuſtri ditans poſteritate domum.
Non vano evenit, quòd es omine dicta Beatrix:
Tu vitute virum & nobilitate beas.

De Iana Bolæa, Claudii Antonii a Vienna ſorore uterina.

PAllada mirata eſt olim dum priſca vetuſtas,
Suſpexit doctę virginis ingenium.
Forma Cyprin divam fecit: cœloque locavit
Turritam ob mores Phryx veneratus Opin.
Laude pudicitiæ celebris quòd facta Diana eſt,
Hanc coluit ſummo Delos amata Iovi.
Si cœlum meruere illis virtutibus, iſthæc
Nonne ſuas poſſunt ſęcula habere Deas?
Quę ſe cum ſęclis conferre prioribus audent:
Imo etiam cedent ſępe priora novis.
Natio quęque aliquas ſibi deligat, inclyta Virtus
Quas ſuperos inter collocet Indigetes.
Si pietas, formæque decor, ſi lingua diſerta,
Prudens conſilium, nobilitaſque placet:
Magnarum fuerit Divarum nomine digna
Inter Neuſtriacas Iana Bolęa nurus.

De Domitio Faino Veronenſi.

MVnera ſi duplici cum fœnore Gallia reddit:
Si matrem vocites Hellada, alumne lepos:
Si propriè OEnotrio prudentia competit: Et te
Integritas, Teuto, vendicat ipſa ſibi:

Dicetur meritò Gallus, Græcuſque, Italuſque,
Germanuſque ſimul jure Faınus erit.

Ad amicum.

DOmi rarus es: & bonis relinquis
Inſtructam omnibus alteri regendam,
Vxorem juvenem, duaſque natas.
Conſultum tibi ne ſatis putato.
Nolem in his leviter vicario uti.
Per te res agere heic tuas memento:
Et penu proprio comeſſe dente.

Ad Baronem Copetii Franciſcum a Vienna.

VT radios ſuevit natus Iovis alite pullus
Solis & illæſo lumine ferre jubar:
Sic tibi magnanimum factis imitate parentem,
Mens fuit a cunis optima quæque ſequi.
Dum colis aſſiduê generoſus utramque Minervam,
Armis, ac ſtudiis pectora perpoliens.
Macte animo, tantis reſtant ſua præmia geſtis.
Sic nato pater eſt dignus, & ille patre.

Ad Lælium Cleopaſſum Hydruntinum, de Octaviano filio ejus.

NAtus erat, Cleopaſſe, tibi digniſſimus olim
Inſervire Iovi pro Ganymede puer.
Suſtulit hunc primis tibi mors inopina ſub annis:
Forſan & hunc juſſu ſuſtulit illa Iovis.
Marmoreo mandans quem mœſta Maryca ſepulchro,
Penè ſimul junctis occubuit tumulis.
Hoc vultu proſciſſa comas lacrymoſa ſedebat
Triſtis ad OEtæos Deianira rogos.

Hac facie ad buſtum vidit Ciſſæis Achillis
Vim natæ jugulis ferre Neoptolemum.
Threicioque caput Polydori in littore, avarus
Vltrices ſenſit dum Polyneſtor acus.
Deplorata ſalus nati eſt: ſuccurre parenti:
Vivat adhuc, natum nec velit illa ſequi.
Hæc tentare poteſt pellaci numina formâ.
Iurgia Iunoni prima movere ſat eſt.

Ad Paulum Meliſſum.

CVi Scyllę caput eſt, adunca naris,
Sileni facies, canina vultûs
Impudentia, bucca ſannionis,
Noctuæ intuitus, caprina barba,
Setoſò horrida frons brevis capillos,
Rictus aſſiduâ fluens ſaliva,
Paſſæ labra marem ſoluta vaccę,
Verrucoſa manus, tumenſque callus,
Stellulis varij indecenter ungues,
Incumbens olidis tragus ſub alis,
Et criſpis latera inquieta lumbis,
Tuo judicio, Meliſſe, fultus,
Nec bonum arguo, nec ſatis pudicum.

De Angelica Malipira Veneta.

DVm natum Cinara ſequitur formoſa Dione,
Venatuque diem fallere cogit amor:
Induit & pharetram in morem ſuccincta Diana,
Nec placet Idalion, nec placet ipſa Paphos:
Diſquirunt dominam Cyprij: non alta Cithera,
Non Gnidos, aut Amathus detinuere Deam.

Venére ad Venetos, quò crebrô diva receſsit,
Atque ibi poſthabitâ maluit eſſe Cypro.
Angelica occurrit: clamant, concurrite cives
Cum plauſu, eſt nobis namque reperta Venus.

De Nicolea a Vienna.

DE formâ quondam nataſque Ioviſque ſororem
Dardanium fama eſt conſuluiſſe Parin.
Victricem Cyprin quid mirum eſt? illa doloſè
Induerat vultus nempe, Vienna, tuos.

De Loide a Vienna.

QVi tecum priſcas formoſo Heroidas ore
Conferet, & flavæ, Nympha, decóre comę:
Forte e tam multis, tecum quę certet, habebit.
Sed quę te ſuperet non erit ingenio.

Ad Ioannem Laſicium Polonum.

SCulptum pectore quem intimoque corde
Geſtare es ſolitus, gereſque ſemper
Opinor, veterem tuum ſodalem
Boiſſardum notat hæc brevis figura.
Sed, quo proſequitur te is uſque & uſque
Quæſitum meritis tuis amorem,
Et deſiderium tui videndi,
(Cùm vincat ſtudium laborioſum
Scopæ, aut ingenium ſagax Apellis)
Laſici, exprimere hoc manus nequivit.

Ad Lælium Cleopaſſum Hydruntinum.

CVm mihi dilecto eſt conjunctio tanta Faino, ut
Non poſsit fratrem frater amare magis.

Et

Et meritò, Cleopaſſe: vir eſt frugiq́ue bonuſque:
Et noſtræ cultor ſummus amicitiæ.
Ille, ut doctrina, Virtute excellit & armis:
Penè Getis Melite prodita teſtis erit.
Debellata Cyprus, Dictæi littoris ora, &
Victe Corinthiaco tu Saracoſſa ſinu.
Illyris & Galli civilia tela furoris,
Punicaque Hiſpano milite fuſa cohors.
Bellaque in externis regionibus: in quibus ille
Cum valido audaces contulit hoſte manus.
Purus & integro ſpectatus in hoſpite candor:
Et per tot menſes non temeratus amor.
Omnia ſi trutina judex libraveris æqua,
Invenies noſtram promeruiſſe fidem.

Ad Philippam Lazæam Polanam Illyricam, in librum ſuorum lyricorum.

LEsboo Phariam celebras dum Coſtida verſu,
Arguta recitans Virginis acta lyra.
Vincis, crede mihi, multos Lazæa poëtas:
Et ſexum ſuperas ingenioſa tuum.
Polaque te Grajam cithara ſociaſſe Latinæ
Iactabit titulis ambitioſa tuis.
Iuſta operi. Illyricæ merita es cognomina Sapphûs.
Dignior his unquam nulla puella fuit.

Ad I. I. Boiſſardum Philippa Lazæa.

MAgnum opus tentat, variæque plenum
Difficultatis, ſtudet in futuro
Qui ſibi veri titulos honoris
Quærere ſæclo.

Hos ita excultoaſſequeris labore,
Iane, dum cura vigili ora viva
Cæſarum longua ſerie Sophorumque
Exprimis arte.
Sed vide ne dum nimiùm politis
Verſibus nomen celebras Philippæ,
Illius vultum ſtatuiſque in illa
Claſſe virorum:
Ne parùm dignè Tyrio colori
Conferas ſuccos ebuli, horridamque
Noctuam audacter videare pulchris
Iungere pavis.
Barbitus nobis humiliſque Muſa eſt:
Et fides ſurdę Illyrico boatu
Perſtrepunt: raucus reſonos ut inter
Anſer olores.
Sufficit, ſi me relegant puellæ,
Quę colunt dulci ſtudio Minervam.
Sufficit, ſi me relegat ſuo cum
Ianus Alardo.
Si probent noſtris mala ſcripta libris:
Si legi dicant meruere: cur non
Laudibus tantis reputem æſtimandam
Iure Philippam?

Ad Philippam Lazæam.

NOn ſine judicio, Lazæa, reponeris inter
Nomina clarorum laude colenda virûm.
Digna quidem es laurus cuj cingat timpora, quęqu;
Non vulgare tui ſis decus Illyrici.

Tu

Tu mihi, dum vivam, Polana vocabere Sappho.
Non melior verſu Lesbia quippe fuit.
Si me cæcat amor, tua teque modeſtia fallit,
Diſcernat judex æquior iſta rogo:
Nonne vides Phœbum, doctaſque aſſurgere Muſas,
Quorum affirmeris docta patrocinio?
Deſinite in dubium rem notam adducere, dicunt:
Pars etenim noſtri eſt facta Philippa chori.

Ad Paulum Meliſſum.

DAmnum diſsimulas, Meliſſe? damnũ
Invitas patientia. Vltionem
Qui differt, ſibi procreat ſubinde
Cauſſam legitima ultione dignam.
Prudens decipitur ſemel: bis & ter
Quiſquis mentis inops: vafram leoni
Vulpem oppone, licet. Iuvet videre
Invidum ilia rupta habere Codrum.
Cum bonis benè rem geri decorum eſt.
Propulſare dolum dolo neceſſe eſt.
Qui ſe ovem facit, a lupo voratur.

Ad Alardum Quintulum. I. C. Narnienſem.

DOcta meę quę tu ſacraſti carmina Muſę
Vt certum fidi pignus amoris amo.
Tanta tamen noſtræ non eſt veſania menti,
His ut me credam laudibus eſſe parem.
Dum me Naſoni confers, doctoque Catullo,
Fuſus iit ſubitò noſtra per ora rubor.
Qualem me eſſe voles, non qui ſim, Quintule, dicis:
Quod candore tuę ſcribis amicitia.

At mihi tantus honos oneri eſt: mihi conſcius ut ſum,
Sic omnis naſum, Quintule, lector habet.
Quod nimium eſt noſtris nulla ornamenta libellis
Addet: Et haud Muſa eſt ambitioſa mea.
Ne commendentur nulla ratione repugno:
Sufficiet nobis, ſi meruere legi.
Nî placeant, piperi domino ridente cucullos,
Et thuri, & ſcombris, capparibuſque dabunt.

Ad Anatolium Pollionem.

NOlo, Pollio, nolo Salviati
Aures aßidua rogatione
Laſſare: pudet & piget precando
Tot bonas ſine fruge perdere horas.
Homo eſt difficilis, tenax, avarus.
Non ſum audax petitor, nimis citò mî
Ruſtico imbuitur rubore vultus.
Soli munera nunc ferunt petaces.
Poſco, propoſita tamen repulſa.
Qui rogat timidè, docet negare.

Ad Lentulum Ventidium.

NEmo adeo prudens qui falli neſciat: ars eſt
Summa, ſuo quęvis dißimulare loco.
Eſt mala fraus omnis: ſed erit me judice longè
Peßima, prætextum quæ pietatis habet.
Signa tamen multis quædam natura reliquit,
Queis tanquam ſpeculo proditur ingenium.
Quę benè ſi pridem tibi, Lentule, nota fuiſſent,
Non eſſes factus proditione reus.
Teuto niger, ruffuſque Italus, ſimul albus Iberus,
Rarò quidem, poſſunt attamen eſſe boni.

Ad Lælium Cleopaſſum.

NE me muneribus ditatum credito, Læli.
Noſtra gravis non eſt arcula muneribus.
Ditia mittuntur locupleti dona Lucullo.
Pauper in algenti ſede Menippus eget.
Neglectas canibus buccellas devorat Irus:
Phaſis aves craſſo dantur Ariſtogeni.
Divitibus ſolis capiuntur munera lauta:
Donum de raphano aut de nuce pauper habet.
Venator fio, fio piſcator, & auceps:
Nec mihi de vario prȩda labore venit.
Magna tamen nobis dicuntur dona parari:
O utinam firmet credita fama fidem.
Spem cepi tardam claudo pede: meſsis in herba eſt:
Sed quam tempeſtas carpere prima poteſt.
Anguillam cauda teneo, quȩ lubrica furtim
Preſſantem fugiet mobilitate manum.

Ad Rutilium Saraveſam I. C. Venetum.

M*Ittis aſparagos, graveſque veſco*
Lupino ſiliquas ciceṙque primum.
Et grandes cinaras cibos ſalaces:
Mittis oſtrea, mugileſque binos,
Plenum & Pſitacię nucis cophinum:
Digna te, Saraveſa, dona ſunt hęc,
Cui ſidus Veneris favet ſecundum.
Deſerto ſolitus cubare lecto
Cùm ſim, rariùs & mihi Cupido
Exhaurit latus. Iſta nempe cauſſa eſt
Cur mihi ſtimulos recalcitranti

Subdis: falſus es: Hoc modo ſupinum
Quàm bellè arguis eſſe me caballum!

Ad Veturium Leontium Hydruntinum.

FVlviam amo celebroque libens, licet illa, Veturi,
Semproni optato ſit ſociata toro.
Tuque mones ne liberiùs ſcribamve loquarve,
De qua ſpes poſthac nulla futura mihi eſt.
Ignoſcat cupio noſtris Sempronius auſis:
Nec nimiùm uxoris laudibus invideat.
Illa oculis æquat Venerem, virtute Minervam,
Dictynnam niveę laude pudicitiæ.
Seu carmen pangat, citharam ſive increpet, unam
Caſtalidum e docto dixeris eſſe choro.
Adde quòd & me olim memini placuiſſe puellę:
Hancque mihi junxit pęnè pudicus Hymen.
Lesbia ſi tenero dictavit multa Catullo,
Ingeniumque dedit, Naſo, Corinna tibi:
Cynthia nec minimùm ſi auxit tua verba, Properti.
Et tibi ſi ſtimulus, Galle, Lycoris erat:
Cur mihi non inflet calamum, molleſque miniſtret
Boiſſardo numeros Fulvia amata ſuo?

Ad Rutilium Saraveſam I. C. Venetum.

ROgas quid cinarę, novi lupini,
Nuces pſitaciæ, recenſque mugil,
Oſtrea, aſparagi, & meri lagena
Græci profuerint Veturio, qui
Mî conviva fuit? torum uſque pronus
Tundat aßidua ut volutione,
Tenſior fidibus lyræ Catagni.

Tormentis, Saraveſa, inuſitatis
Verum ſic adigis reos fateri?
Nil te comius eſt ſalaciuſque.

In Naidem.

Sæpe tuo, Nais, non agnoſcenda marito
Prodis, ut Lydo par videare Gygi.
Sic calvam aptato ſolita es variare galero:
Sic trita faciem docta polire faba.
Hirta fatigantur volſella labra tenace,
Et ceruſſata timpora dura cute.
Sedula rugoſum veneto ceromate collum,
Pſilotroque linis pectora opaca pilo.
Alarum Cyprio diapaſmate corrigis hircum:
Fitque olidum, ut credis, dropace virus hebes.
Suppoſita turpem celas analectide gibbum:
Æquaturque levi ſubere pes brevior.
Defectuſque alios formæ medicamine ſupples:
Namque es millenis condita pyxidibus.
Ambiguo cùm tu ſecteris Protea vultu,
Immundum prohibet nulla medela tragum.
Tu licet innumero transforma ænigmate corpus:
Quærenti qua ſis Naida prodet odor.

Pomponii Ricii Nolani Aenigma, ad Boiſſardum.

QVid ſit cùm villos villis committimus, atque
Vdo mulcemus tegmine quod medium eſt?
Quid ſine peccato licitum eſt patrare inhoneſtè?
Dic Boiſſarde, & tu ſic mihi Phœbus eris.

Boiſſardi Reſponſio.

CVm das luminibus tuis quietem,
Committis cilii utriuſque villos:
Palpebriſque oculi teguntur udis.
Peccato ſine concacabis illas
Quas geris caligas, honore læſo.
Rici, ſum tibi ſic Apollo factus?

In effigiem Amymones ab Apollodoro Veneto depictam.

INſcia Amymone myrti ſub frunde jacentem
Capripedem torta cuſpide Pana ferit.
Ardet, & Argolicam rigido ſiphone puellam
Inſequitur: clamat, fer, Deus, Auxilium.
Obſtitit inſtanti liquidi ſalis arbiter, & te
In partem juſsit, Nympha, venire tori.
Tam prompto auxilio potuit, Neptune, carere:
Si rapto grates virgo pudore refert.

Ad Lælium Cleopaſſum.

HEri dum ſolio eluuntur uno
Proſper atque Veturius, rogarunt
Labrum ut ingrederer ſimul lavandus.
Hirtis inguina nigricare ſetis,
Proſperique tuens nates piloſas,
Quale ſubligar, inquio, induiſti?
Tum Veturius hoc joco ſolutus
In riſum, Herculis hanc fuiſſe formam
Olim credibile eſt, ait, Iacobe.
Quòd ſi Sennonidis duo heicadeſſent
Nati, Baſalus improbuſque Achemon,
Nudum & corpore Proſperum viderent,
Fuga conſulerent ſibi, putantes

Clavæ

Clavę ſe leporum in modum alligandos
Rurſum eſſe, inque Melampygum incidiſſe.

Ad Proſperum Ventidium Nucerinum.

ALcidę ſimilem ſetæ, cervixque toroſa
Te facit, & denſis clunis opaca pilis.
Tu potes inviſis Cercopibus eſſe timori,
Expertis clavę pondera dura tuæ.
Sed cur ſollicito te lumine cernit Amanus?
Illi formoſa eſt Lyda puella domi.
Ne nova ſuſpectum tibi concitet Omphale amorem,
Neve ſuum incurves ille veretur Hylam.

Ad Paulum Meliſſum, de Apro decoctore.

CŪm fuerit locuples, miror quid contigit, ut ſit
Tempore tam exiguo factus egenus Aper.
Is mollem Phœbo lectum ægrè deſerit orto:
Dum ſumptu ne ſint lucra minora cavet.
Tu mihi, ait, capo vel turdis inſtrue menſam:
Quęrenti quę ſit cœna paranda coquo.
Perdicem precio poſſum cœnare minori.
Quàm, quo plena vides eſſe macella, bovem.
Neve colam tanti patrios vendemus agellos:
Hos etiam conſtat dum pluit eſſe lutum.
Cœnavit modicis, cœnum divendidit auro:
Perque hyemem inpenſas nulla lucerna dedit.
Cùm prudēter agat quodcūque, Meliſſe, quid eſt hoc,
Ex locuplete quòd eſt factus egenus Aper?

De eodem: Ad eundem.

PErdicem ſolitus cœnare, epulaſque vorare
Qui dubias, dulci & cruſtula tincta favo:

Quique bibit tantùm prælis expreſſa Falernis,
Creticaque annoſo condita vina cado:
Ille, inquam, decoctor Aper, cui cura fritillus,
Et juncta imbelli crapula deſidia:
Nunc tota feris incumbere nocte lucernis
Gaudet, & electis incubat uſque libris.
Huic ſchola commiſſa eſt urbis, juveneſque docendi.
Nunc illi Virtus ſola, Meliſſe, placet.
Arte hac quæſivit Dionyſius æra Corinthi:
Crede mihi, res eſt ingenioſa fames.

De Seipſo: Ad Petrum Lepidum Metenſem.

NEc me lucra juvant: nec illa ſi me
Iuvarent, Lepide, obtinere poſſem.
Libertatem amo, vanitatis huius
(Quæ ſunt mancipia aulica uſque plena)
Pertæſus. Simulabo nunc dolorem,
Nunc riſum, ut placeam tibi, Nydarte?
Succorum Anticyræ indigus viderer,
Si quid tale mihi accidat: carere
Malo amicitia & tuo favore:
Quàm tam turpiter inquinare noſtra
Tuis laudibus ora. Aſellum aſellum
Et lupum vocito lupum: impoliti &
Nullis compoſiti tropis mihi ſunt
Mores, ſum quia ſimplicis figuræ.

Lentulus Ventidius Nucerinus, ad Boiſſardum.

VXorem alterius redamare obtrudis, & id mî
Tu patria crimen ſimplicitate putas.

Sed,

Sed, Boiſſarde, Italo vitium ſcortarrier haud eſt:
Mentiri Gallis ut ſolet eſſe jocus.
Teutonibuſque capi vino, Græciſque cinędi
Baſia nec læſo carpere honore palam.
Cuique ſuus mos eſt: quem tollere qui volet, is ſe
Purgandum multo judicet helleboro.

Ad Lentulum Ventidium.

MEntiri Gallo nulla eſt infamia, dicis:
Nec ſcortari Italo, Lentule, turpe putas.
In pueros pronum ferri licet uſque Pelaſgo:
Ebrius & Teuto vir bonus eſſe poteſt.
Si depravati confirmet opinio moris
Talia, Virtutis lex manet iſta tamen:
Quæ ſcortatores, vinoſos, atque cinædos,
Mendaceſque ſimul judicet eſſe malos.

Ad Paulum Meliſſum.

SVam Fucus ut æſtimationem
Auctam redderet, hinc & indè mille
Centonum accumulans, Meliſſe, acervũ,
Paginas aliquot malè ordinatas
Farcivit: Potuit liber videri:
Sed quem Lampſacus hoſtiæ Priapi
Convenire putaret: Arcadumque
Ad præſepia ſæpe cantitatum.
Lambit quo magis, ac magis relambit
Maſſam illam fatuam atque ineruditã,
Tanto inſulſior eſt labos: amicis
Indigeſtum opus ille corrigendum
Tradit. Quilibet expolit, dolatque

Quod poteſt. Fuerat rigens aſello
Detractum corium: ſed ut libellus
Cœpit rudere, prodidit parentem.

In Phyllidem.

QVòd male non audis, nec fama, Phylli, laboras,
Vllis nec dicta es ſuccubuiſſe procis,
Hoc tribuit facies Lamiæ deformior: iſta
Ægide, Phylli, tua eſt tuta pudicitia.

In Lippum.

LIppe, ſalutari a nobis dum poſcis, honorem
Non meritum uſurpans, ambitioſus homo es.
Quòd doceas populum, & latratibus omnia turbes,
Lippe, illinc nulla laude paratur honos.
Quòd tibi mens odiis, & fraudibus æſtuet intus,
Quòd ſub fucata ſis probitate nocens,
Nequid diſſimulem, ſi vis me dicere quicquid
Ingenuè de te ſentio, vir malus es.

Ad Ludovicum Malarmæum Veſuntinum.

OPtaſti toties noſtri legiſſe Meliſſi
Scripta, tot & tantis concelebrata viris.
Edita cujus ego tibi nunc Schediaſmata mitto:
Vlli quod meritò cedere nolit opus.
Non Apinas, Ludovice, leges, quas Mævius auctor,
Quas Bavius, fatuo aut Chœrilus ore blatit.
Heic tu Pindaricis videas digniſſima plectris:
Mæonia quæ ſint non aliena tuba.
Quæque repreſentant antiqui pulpita ſæcli:
Denique ſunt Franci hæc carmina Callimachi.

De Gongylo.

VXor eſt data Gongylo puella,
Flava, bellula, culta, delicata:
Cum qua continuis miſer duellis
Colluctatus, & intimas medullas
Fax Cupidineo cremavit igne.
Tabet emaciatus: atque laxis
Ducit ilia diſſoluta nervis.
Huc adeſte Machaones, ſalubrem
Et decernite Gongylo medelam.
Inſani eſt propria mero taberna
Quantumvis generoſo inebriari.

Ad Alardum Quintulum I.C. Narnienſem.

DEmerê quod ſimi viſa eſt natura Pyreti
Naſo, eadem longis contulit auriculis.
Cornua ne deſint fronti nova cogitat uxor:
Nulla genis, mento barba caprina riget.
Scilicet hac Satyri forma pinguntur & ore:
Nec Satyri Nymphis diſplicuere ſuis.
Ridiculus preſſa ſi fiat nare, quid ad te?
Non quivis naſum, Quintule, habere poteſt.

In Zoilum.

OMne tuum in noſtros virus vome, Zoile, libros.
Sunt nugæ: nugas cur legis ergo meas?
Verſibus omnia ſunt trivialibus edita: nec ſunt
Doctrinam quæ ullam verba vetuſta notent.
Scribimus hæc vacuis, menſaque legenda remota:
Dum multo eſt ſegnis lectio facta mero.
Tu Curio, tu ſcribe Catoni, Heraclitoque,
Verba Sophoclæis vel potiora modis.

Nō equidem invideo:ſed emam, atq; relecta probabo:
Meque feres palmam judice, ſi bona ſunt.
Si mala, cùm mihi par fueris, tibi Zoile parcam:
Nunc, dum nil ſcribis, non meliora facis.

Ad Veturium Leontium Hydruntinum.

COmmendo hunc juvenem tibi, eruditum.
Germanum, & patria æquitate cultum:
Natura facilem, probum, modeſtum.
Muſarum ſtudiis benè expolitum:
Et tui cupidum ut decet poëtam.
Ne illi, quæſo, nega tuum favorem:
Sentiatque Veturiō Iacobum
Carum eſſe, atque tuum mereri amorem.
Quòd ſi me tuus ille non ſcfellit
Perſpectus toties ubique candor,
Pari pectore tu quoque hunc fovebis.
Cognitus mihi Lælioque longo
Fuit tempore: Dignus eſt, Leonti,
Cùm quo vel mediis mices tenebris.

De ſeipſo.

PArthenopes quaſſa peterem dum mœnia pinu,
Tyrrhenam accepi naufragus Inarimen.
Hoſpita languenti tutum dedit inſula portum:
Nec fuit in tota ſimius hoſpes humo.
Cercopithecorum me nunc mala turba laceßit:
A quibus extrudor naufragus Inarime.

Votum Neptuno.

MAgne maris rector, ſævo qui mota tridente
Æquora, qui nutu cœrula monſtra domas:

Boiſſar-

Boiſſardus lacera poſt longa pericula puppe
Pro reſtaurata vota ſalute facit.
Pertulit ora modis merſus latrantia miris,
Qualia ſub Sicula rupe, Pelore, tegis.
Senſit inexpleto Zanclæam ventre Charybdin:
Carbaſaque in refluum perdidit acta vadum.
Elapſus ſcopulos vaſtaque voraginis æſtum,
Serò redux tabulam naufraga ſigna locat.

Ad Fuſcum.

DVm te Cynthia, Fuſce, per receſſus
Silvarum tenet, & feris, ut alter
Orion, metuendus es, tibi dat.
Liberos Erycina, conjugemque
Efficit ſine fertilem marito.
Nec quiſquam venit ad tuos penates,
Præter ſacrificum, belciariumque.
Robuſtus tamen & valens uterque:
Natos inſtruit ille: curat iſte
Neceſſaria quæ requirit uſus.
Suſpectos tamen hos putato nulli:
Invadat temere heus tuas quis ædes?
Cùm ſit plena domus tibi hybridarum.

DE CAECILIANA.

Ad Abrahamum Fabrum Typographum.

GRandia ſuppreſſo ſuſpiria pectore ducit,
Vt bibit e patulo Cęciliana vitro.
Quid mirum eſt? nobis defecit ſpiritus inquit.
Dum pario, anxietas non mihi major adeſt.
In medio partu gemitus licet edere: ſed mî
Hiſcere nec minima, dum bibo, voce datur.

Ad Paulum Meliſſum: De Loide.

ET matura viro eſt,& plenis nubilis annis
Lois,& hancſtimulat nulla, Meliſſe, Venus.
In promptu cauſſa eſt:fugit otia. Caſta Diana eſt
Venatu:caſta eſt ægide nata Iovis.
Nympha ſuę aſsiduò ſacris operata Minervę,
Vivit honoratos & ſine labe dies.
Illi acus & tereti verſatus pollice fuſus,
Staminaque, & calathi pictaque texta placent.
Sedula Palladiis inſiſtens fœmina penſis,
Rarò amor hanc Paphiæ concutit igne facis.

In maledicam.

TV qui bilem acuis furentis antè
In culpę vacuum, dicacitatem
Sceleſtam cohibe,efferamque linguam.
Vel ſis quod Mareotico tyranno
Infelix Thraſius, trucive quondam
Perillus Phalari:Perire eadem
Qua quis arte nocet,meretur auctor.

De quatuor præcipuis Europæ nationibus.

DEtinet Hiſpanum aſsiduo oblectatio ludo:
Gallo lautitiis plena culina placet.
Teutonibus grata eſt vinaria cella: lupanar
Nemo Italo meliùs qui tueatur erit.

De Livia Martucia.

LIvia concepit:ſoboli iſta precata futurę eſt:
Si ſit quæ tractet fœmina nata colum:
Hauriat Hetruſcis primas in vallibus auras,
Vivat apud Venetos,Roma ſepulchra paret.

Maſculus at gravida ſi forſan prodeat alvo,
Voto illi veniant hæc quoque fata meo.
Natus in Italia, vitam traducat ut inter
Gallos: Hiſpana ſed tumuletur humo.

De Siluia Rizza: ad Meliſſum.

SVum Zelotypa furens phreneſi
Virum Silvia ſuſtulit veneno.
Paſſa eſt vincula, Principiſque juſſu
Damnata eſt capite. Hęc phreneſis hujus
Non erat remedi indiga: at Meliſſe,
Chirurgo potuit carere tali.
Ignoſcant medici, horum opinionis
Si non ſim: mihi non poteſt probari
Venæ ſectio tam periculoſa.

De Abrahamo Ortelio Coſmographo.

SI mihi Fortunam vellem concedere munus,
Ortelii primùm poſcerem amicitiam.
Cui doctrina potens, facileſque ante omnia mores,
Cui lepidi vis eſt ingenioſa ſalis.
Denique in hoc reſidet quicquid pulchrique bonique
Proprium habent Muſę, Pallas, Apollo, Charis.
Vltro equidem evenêre mihi hęc bona: nonne beavit
Eximiis me ſors optima divitiis?
Ortelius meus eſt, ego ſum illius: eſſe quid iſto
Dulcius, aut felix quid mage amore poteſt?

Lentulo Ventidio Nucerino.

VT te Dique ſimul Deęque ſervent,
Et quem Philoſophum trucem & piloſum
Commendas mihi litteris. Vocatus

Ad cœnam Samii ſcholam tacendo
Se probat coluiſſe non edendo.
Armum namque voravit ille ovillum.
Integram arctocream, & duos botellos.
Ab hoc vel prece verbulum nec unum
Nos extorſimus: Omnia ille geſtu
Et nutu tetrico eſt locutus: eſt vir
Rari judicii, reconditæque
(Vt ſcripto aſſeris) eruditionis.

Georgio Cæciliano Patavino.

CVr naſcente mihi ponis jentacula Phœbo?
Et cupidam ſtimulas, Cæciliane, gulam?
Si vix inſtructas liceat contingere menſas,
Cùm medio Circe ſuſpicit orbe patrem.
Matutina necat recitatis lectio nugis:
Suavior hæc multò, ſi comedamus, erit.
Dum ſatur eſt, placidum ſe præbet ad omnia venter:
Iejunus vacuis obſtrepit auriculis.

In Phorbum.

BVxea circumagit qui tetricus ora, cruentos
Cui pridem infecit livor edax oculos,
Ille ille eſt Phorbus Virtutis larva: lupinam
Agnina cautus ſub cute noſce feram.
Vipereum dulci commiſcet melle venenum:
Quas Nili lacrymas bellua fundit habet.
Phorbe, recede procul: famoſo ſtigmate notum
Malo, quàm ficta ſimplicitate malum.

Ad Omphacen.

PRobè differis, Omphace: erudito,

Di boni,ingenio gravique polles,
Mendaces vocitans ſimul poëtas.
Quòd mendacia ſola cantionum
Sumamt materiem.Virente lauro
Omphaces religato Phœbe frontem:
Præſes illa ſit omnibus poëtis.
Nam poëtria nata cùm ſit, omnes
Et natos genuit ſimul poëtas.

In Pholoën.

ORba viro Pholoë vix pollinctore relicto
Nupſit:& hoc non eſt conjuge læta diu.
Illa iterat tumulos: levis eſt jactura mariti:
Qui thalamis,inquit,ſubſtituatur erit.
Non opus eſt tibi me,dixit veſpillo vocatus.
Quâ perimis,functos hac ſcrobe conde viros.

Ad Philippam Lazæam Polanam.

HOrtaris ſtudeam,Philippa,formę,
Inungam faciem,comaſque molli
Cincinno impediam,& ſine arte fuſam
Criſpem cæſariem, pilemque pectus.
Sæpius reſecetur hirta denſis
Iubes barba pilis.Inepta,duris
Setis corpora veſtiuntur aptê,
Ornatumque viris ferunt. At illo
Ora conquereris rigore pungi.
An & cætera dic rigere nolis?

Ad Titum Celſum Syracuſanum.

AEquoreo petitur,Tite,dum ſata Paula Ligurno
Sunt ubi in oppoſitis Ælia buſta vadis:

Exiguum brevior præbet tibi penula tegmen:
Et ſummo rugas dat femorale genu.
Talis amatori, dixit, foret apta Britanno
Veſtis, cui longæ damna dedêre moræ.
Si ſandix ſtabuli foribus retinetur apertis,
Es vereor tardus, Celſe, futurus eques.

De Cotylo infante.

VIx ætas Cotylum videt trimeſtrem,
Matris ubera reſpuit lagena
Conſpecta, teneroque pocla riſu
Ambit. Surge age, & ocyùs move te:
Da vitrum puero proterva nutrix.
Fautorem egregium popina habebit
Paulo poſt: amo te, puer, patriſſas.

Petro Lepido Metenſi.

IVre ſuo an Lyde pulſata eſt quæris Amane,
Obdere nocturnas nuper adorſa fores?
Inductura illi rivalem excluſit amicum:
Quem durum queritur ſuſtinuiſſe diu.
Cauſſam hanc prætexit: ſcopus at diverſus utriq; eſt.
Hic poſcit gratis, quod facere illa negat.

De Lyda Patavina.

EXponit ſoli fuſcum dum Lyda capillum,
Prodeat ut flavæ compta nitore comæ:
In faciem eſt nigredo tenax tranſlata, ſimulque
Memnonii crines Lyda coloris habet.
Sic igitur Gallas imitabere, dixit Amanus,
Queis tegitur nigro vultus epiſtomio.

De Pauli Cimetti morte.

Paulus,

PAulus occidit, & patrem ſepulchro
Mandat filia vix madente ocello.
Cur plorem occidua gravem ſenecta?
Fatis ſic placuit: Deo quis, inquit,
Refragabitur? Impotentis illud
Eſſet ſignum animi: mihi datũ eſt plus
Mentis, gratia Djs: meique ſexûs
Evinco impatientiam ferendo.
O conſtantia fœminæ virilis
Inaudita priùs! tibi iſta patris
Conſolatio ciſtulis reperta eſt.

De Lælia Braſſæa, ad Ludovicum Malarmæum.

NOlit amatori cur Lælia nubere Marce,
Sit cenſu quamvis hic locuplete, rogas?
Paſſus idem eſt quod qui Sagaritidos arſit amore:
Quod qui truncato Dindyma teſte colunt.
Quid miſeram crucias natã, pater improbe? non vult
Divitias, ſed vult Lęlia habere virum.

Ad Gongylum.

FRuſtra, Gongile, liberalis eſſe
Tuis muneribus cupis videri,
Quæ cras obiicies mihi ſuperbè.
Dum confers memori, exprobraſque donum,
Dic te perdere gratiam atque donum.

Ad Nic. Houllonium Metenſem.

FOrtunam ſtolidi rarò experiuntur amicam:
Sors etenim ignavos ſemper iniqua premit.
Conſilio dum cuncta geres, cadet alea felix:
Eventus fatuæ eſt regula ſtultitiæ.

Vt tibi contingant eventu quęque ſecundo,
Houlloni, magna dexteritate facis.
Hinc tibi divitię ſtudio quæruntur, & arte,
Quas mala nulliús carpere lingua poteſt.
Invidiam patitur nam res quęſita doloſê:
Aut quas indignê ſervat avarus opes.
Officiis ulli facilè haud concedis amico.
Namque ut dives opum, dives amicitię es.
Perge age: ſucceſſu ſemper meliore fruaris:
Nullaque damna unquam rem tibi diminuant.
Sed valeas: videaſque tuam Curetida matrem:
Et par ſit proles ingenioſa patri.
Heredem extrema natum qui morte relinquit,
Vt ſubeat Lethes flumina, non moritur.

De Topheo.

Occupat ignavum paulatim Tophea caudex:
Quàm metuo reddat Tophea mancipium!
Surge, puer: ſtupidoque hoſti contrarius ito.
Excute corda rigens quod tua ſuber habet.
Succubuit: natura ſui eſt non neſcia: quonam
Ex bubone modo creſceret accipiter?

In Hypocritam.

TV qui Mopſopię ſectaris Bapta Cotyttûs
Inguina, Sotadicis mollior Androgynis:
Cur vultu ſimulas hunc quem Minois amavit?
Et nudo accivit quem Sthenobœa ſinu?
Subdola larvatę tuleris ſi ænigmata frontis,
Prodet ſe vafro putidus ore pudor.

In Sphyngem.

OEdipodioniis Sphyngem produxit ab oris
Tempus, & ambages noxia verba ſerit.
O alter veniat Thebarum rector, ut illa
Solvendo, reddat te, fera, pręcipitem.

Ad Lamiam.

CVr nomen Lamia tibi indo, quaris?
Foris lumen habes, domique cacus.

De Seipſo.

QVis ducat vitio mihi dolorem
Hunc, quem percipio ex gravi Nydarti
Lingua? Quis, rogo, quis mihi reclamat?
Si dum pungor ab hoſte, tollo vocem
Heu Heu, ſigna dolentis. O inique
Iudex, qui rationem habere neſcis,
Diſcrimenque valentis & dolentis.
Tu ſi heic ſis aliter tibi videri
Noſtra cauſſa queat: ſciaſque verti
Offenſam patientiam in furorem.

De Topheo.

RIdet me ſtolido diſtorquens ora cachinno
Topheus, & tanquam turpis aſella rudit.
Pictorem qui vult, inquit, cognoſſe poëtam?
Id tibi Boiſſardus noſter utrumque dabit.
Si ſimul & cantor queat aut citharœdus haberi,
Lunarem hunc poſſes dicere Geryonem.
Mira refers, Topheu ſtrvis & vomere digne:
(Si teretem truncum vomer aduncus amet)
Sed te felicem ſi tę cognoſcere poſſes,
Vnum deque iſtis aſſequerere tribus.

Donec eris ſimiliſque tui ſimiliſque tuorum.
Pictor, nec vates, nec citharœdus eris.

Alardo Quintulo I. C.

PIctoris nomen tribuit mihi, Alarde, Meliſſus:
Vnde mihi famam quærere turpe putas.
Materies eadem pictori eſt atque poëtæ:
Hic vitam tribuit, corporis ille habitum.
Mens eadem utrique eſt, cognátaque munia tractat:
Nil refert pictor ſive poëta vocer.

Ad amicum.

EXpulſum officio doles priore
Fratrem Nicolei tui, atque docto
Rudem protinus eſſe ſubſtitutum.
Sic matri ſtolidę libet: quis illi
Repugnet? placuit minùs perito
Natum tradere, ſed magis loquaci.
Saltat ſat benè, cui favens ſonat ſors.

Ad Paulum Cimettum iuniorem.

DVm patris effertur lacrymoſa ad buſta cadaver,
Tuſa repercuſſa pectora plange manu.
Adſpicis ut triſti jam non vacet eſſe ſorori?
Impedit afflictę cura moleſta domûs.
Luminibus ne parce tuis: hanc deficit humor:
Non habuit ſiccas patre valente genas.

Ad Marcum Antonium Varanum.

NIl agis inſulsê: ſalsê loqueriſque faciſque
Omnia: ſalſa tibi noxque dieſque venit,
Tu quàm longa dies potas diſtentus, & idem
Qui ſalsê dormis, mane, Varane, ſitu.

Ad

Ad Topheum.

PAnde ſeſquipedalis ora rictûs:
Ride quod rudit a molis aſellus:
Dic, Boiſſarde, geris perenne nomen:
Pictor díceris & ſimul poëta.
O magnum ingenium, o potens cerebrum!
Dicam, nomen habes perenne, Topheu:
Nec pictor potes eſſe, nec poëta.
O rude ingenium, o hebes cerebrum!

Paulo Aloyſio Amano.

SI tua nunc vitet prudens commercia Lyde,
Immeritum hęc dicet te quis, Amane, pati?
Viſa foras quicunque eliminat, ille meretur
Excludi offenſi iure ſodalicij.
Ridiculum eſt, inquis: ſi quid tamen oris haberes,
Debueras alio diſsimulare modo.
Quiſquis ad externos venies conviva penates,
Sis linguam atque oculos continuiſſe memor.

Ad Philippum Carionem.

SI tantus Lamiam dolor teneret,
Quanta ſtultitia miſer laborat:
Tempeſtiva ſatis, Philippe, nunquam
Illíus fieret medela morbo.

De Naſo Lamiæ.

QVid naſus Lamiæ refert, rogatis?
Caudam infundibuli mero rubentis.

Ad Lælium Cleopaſſum.

SI conviva mihi, Cleopaſſe, Leontius eſſet,
Et partem noſtri te roget eſſe chori,

Quid faceres? nonne officium hoc renuiſſe puderet?
Id rogat: officium hoc ſit renuiſſe pudor.
Nos dabimus cœnæ non longi temporis horam:
Colloquiis, moneo, ſed mora major erit.
Nec deerit cujus capiaris amore paratus:
Et non vulgari menſa erit apta dape.
Quod tibi fortaßis dudum eſuriatur habebis,
Ni tibi torpentis ſit ſapor oris hebes.
Moroſo es ſolitus non faſtidire palato,
Quas tibi proponit pauper amicus, opes.
Inſtructus venies illo (ut ſint omnia læta,
Et ſine quo fatua eſt cœna futura) ſale.
Pauca Faventinis coquus inſtruet aſſa quatillis
Fercula, quæ meliùs condiet ipſa fames.

De Lamia.

CVr, cùm de Lamia loquor, brevis ſum?
Ille encomia longa non meretur.

De Lippo.

LIppo oculi ſtillant lacrymis, multoque rubore
Infecit naſum murice tincta Tyros.
Id, Lenææ Pater, tribuit tibi, cui benè noti
Quos Lippi calices ſugat anhela ſitis.
Quid ſi aliud cauſſæ eſt? fumorum venditor ille eſt:
Eſt oculis fumi noxius acris odor.

Ad Linum Sagatium.

AEgonis, Line, collocutionem
Suavem & mellifluam vocas, ſoporem
Quòd induxerit audientibus. Sed
Iejunam & fatuam puto æſtimandam,

Quòd

Quòd ſuo ſale neminem excitaret.

Ad Matthæum Cognetium I. C. De terra ſigillatâ ſibi dono miſſâ.

MVnera Threicio cepi miranda ſigillo,
Quæ quondam tellus Hypſipylea tulit.
Nulla ægro juveni potuit præſentior eſſe,
Quàm quæ Lemniaco eſt facta medela luto.
Alvi tormina ſunt fluxûſque coërcitus: at non
Qui miſeri loculos evacuavit heri.
Cui qui ſuccurret, formoſæ vir ſit amicę,
Sed non ut Lemni contigit eſſe Deo.

Ad Georgium Gernerum.

SI pecco quoties dominus mihi díceris, & me
Bis decies reddit quęlibet hora reum:
Atque gravis penſo mulcta eſt ſolvenda quadrante,
Enormem ſecum lex trahet invidiam.
Non ero ſolvendo, cùm deficiente crumena
Opprimar, & nummos hauſerit una dies.
Nempe mihi dominus poteris, Gernere, vocari
Arbitrii fuerit cùm mea vita tui.
Ne tamen excludi nomen videatur amici,
Te gerere heic audi qua ratione velim.
Medoaci ad ripas hypocauſta Laconica mecum,
Cras ubi lux fuerit, mane lavandus adi.
Illic duriciem lex eluet, & ſimul auctor.
Et poteris mulctis mundior eſſe meis.

De Pyreto.

PYretus Theodoram amans, puellam
Offenſam blateratione reddit.

Indignata hominis procacitatem,
Nugantem ſtolidis jocis rogabat,
Inter bruta animalia eſt, Pyrete,
Quodnam grandius? ille, Barrhus, inquit.
Barrhe ergo, Theodora ait, recede hinc.

Ad Philippum Carionem, de Lamiâ.

FAlſa cur Lamię omnium videntur
Dicta? vera quòd is loqui negetur.

Ad Alardum Quintulum I.C.

NOſtra Meliſſæo conjuncta epigrammata voto
Poſtremo quòd ſint fine repoſta doles.
Sed nihil hinc damni capiunt: quocunque locetur,
Quintule, non curat noſtra Thaleia ſitum.
Si bona ſunt, extremo etiam ſub fine legentur:
Si mala, erunt primo non meliora loco.

Ad Pomponium Ricium Nolanum.

SIs hodie nobis, Rici, conviva, docebo
Quòd Laio genitus ſolvere poſſe neget.
Dicam quę matrem generavit filia: dicam
Cui mel felque ſimul, frigus ineſtque calor.
Quis nares recta feriat jaculator, ad imos
Collimata licet ſit catapulta pedes.
Quæ res ſit pluvio quę tempore tecta madebit:
Illa eadem fuerit ſub Iove ſicca magis.
Quæ res ſit, cujus numerus quo major abundat,
Hæc numero levior dicitur eſſe ſuo.
Hęc mihi ſi ſolvas Thebanæ oracula Mantûs
Te credam & Clarii verba tenêre Dei.

Ad eundem.

Venantur

VEnantur gemini juvenes, horumque parentes,
Grátaque tres lepores prẹda fuere canum.
Hos inter, Rici, captam ſic divide prædam
Ex æquo, integrum ut quiſque ferat leporem.

Ad Robertum Fevinum Medicum Ambianũ.

DVos caupo viros ſuâ in popina
Excepit, ſociamque uterque ſecum
Vxorem jubet aſsidere. cœnam
Commendat cibus & jocus. Remota
Menſa, a quolibet exigit decem aſſes:
Triginta numerantur, eſtque caupo
Contentus precio hoc: tamen decẽ unus
Quiſque ſolverat. Id, Fevine, amabo,
Qua factum ratione ſit, doceto.

Ad Pomponium Ricium.

TV Colophoniaco objectas ænigmata vati
Propoſita: Hæc Arcas nauta ſoluta dabit.
En tibi Alexandri nodus non pervius enſe
Gordius: ingenio diſſoluẽndus erit.
Dic quid ſit, cui quò plus porrigis, exigit id plus:
Dic quid molleſcit ſole, liquore riget.
Dic quid nec linguam nec vocem habet: attamẽ illud
Dulci homines captos detinet harmonia.
Quid caret auditu & viſu, verbiſque loquentum
Tanquam intellectis, nutibus erigitur?
Aſsiduo pulſu qui quaſſant limen amicæ,
Nec ſubeunt, quamvis hæ patuere, fores?
Quid nec corpus habet, nec quo quicquã ore loquatur
Attamen illi vox articulata ſubeſt?

Quæ tria ſunt, cum queis nulli ſat ludere tutum eſt?
Quę tria prudenti ſunt reticenda metu?
Quis non jungitur his crebrò quos aggregat una?
Et quid plus recipit quàm queat eſſe capax?
Hęc ſata declaret Phœbas Ciſſeide: vel quæ
Grynęa Euboicis virgo latet ſpecubus.

Ad eundem.

SI quanta eſt utriusque rogas diſtantia ſolis
Vera, mathematicis edoceare modis.
At ſi ænigmaticum, mihi quod proponis, habetur,
Quod reor: hęc paucis expedienda dabo.
Occiduus diſtans Eoo occaſus ab ortu eſt,
Eſſe viatoris quanta diæta poteſt.
Carpit iter cùm mane rubet Tithonia conjux,
Hoſpitium feſſus ſole cadente ſubit.

In Lamiam.

MOrbus eſt gravis, eſt gravis ſenecta:
Paupertas gravior poteſt haberi.
Sed graviſsimus omnium malignus
Eſt tuus, Lamia o ſuperbe, faſtus.

Ad Lælium Cleopaſſum.

EDe tuos, Cleopaſſe, libros: poſt funera noſtro
Tempore namque bonis fama maligna venit.
Sorbe aliquid de illa (meruit quam induſtria) laude.
Eſt aliquid proprio poſſe labore frui.
Quid tibi judicium vulgi & ſententia curę?
Doctus Ariſtarchum ſic quoque Homerus habet.
Stulti eſſet cultæ non credere ſemina terræ,
Condita quòd ſulcis depopulentur aves.

De Fuſco.

BAcchanalibus, ut priùs ſolebat
Perſonata choros levis juventus
Omiſit: neque enim licet profanis
Vti ritibus: idque jam ſeverê
Edictum prohibet ſacri Senatûs,
Hortante aſſiduò & monente Fuſco:
Dum reſponſa Deûm docere plebem
Cretatus paries cupit videri.
Carcer pœna reis, decemque mulcta
Librarum. Propera, manuſque Fuſco
Lictor injice, compedumque vinclis
Arcta: mulctaq; ad ultimum quadrantē
Solvatur. Solet ille, ſive tractet
Ludum, aut ſeria, publicê domique,
In ſacris etiam ſubire larvam.

Ad eundem.

SCriptitat aſſiduê verſus, & turpe poëtę
Nomen ait. Stultùm quàm tibi, Fuſce, caput!
Talis es & tantus, qualis tu & quantus haberis:
Carmina qui ſcribas, Fuſce, poëta nec es.

Ad eundem.

FVſce ego te nunquam, ne tu fallaris, amavi,
Accedat titulis neve amor iſte tuis.
Nec te odio, ut quereris malè ſanus, proſequor ullo:
Tam levibus curis pectora noſtra vacant.
Deſpicio te, ut nauci hominem: cur angeris ultra?
Fuſce, ego non odi, ſed tamen haud amo te.

Ad Linum Sagatium.

FVſcum audi, Line, de Deis loquentem,
De rectoque bonoque differentem,
Dices eſſe virum bonum atque rectum.
Hunc cognoveris intimamque mentem,
Dices: Dique ſimul Deæque perdant
Probrorum hanc, Line, fœtidam cloacam.

Ad Ioannem Lobetium I. C.

NOn cuivis tribuit doctis natura placere:
Cœlitus hæc paucis gratia parta datur.
Multum etenim refert quali naſcare ſub aſtro:
Sidera nam in cœlis non otioſa micant.
At ſi cuiquam hominum ſit conſtellatio felix,
Tu facilè in primo conſtituere loco,
Vt taceam quę te clarum prudentia reddit,
Quę tibi doctrina eſt, quod tibi judicium:
Quámque diſerta ſubeſt facundia, quàm tibi mores
Sint lepidi, & genio gratia quanta tuo.
Officioſus homo es, nulli candore ſecundus
Diceris: & multis fido in amore prior.
Cùm te tam varię divino munere dotes
Ornent, multiplici laude colendus eris.
Et te, Lobbeti doctiſsime, multus ubique
Selecto excipiet junctus honore favor.
Inter tam multos, queis tu cumulabere, amicos,
Tu quoque ut adſcribas nomina noſtra rogo.
Nulla homines inter conſtat concordia major,
Quàm quę Virtutis numine fulta venit.

Ad Petrum Friderum Mindanum.

CRedis, Petre, mihi referta nummis
Eſſe

Eſſe ſcrinia: quòd mihi podagra
(Quę ſolis locupletibus moleſta eſt)
Pedes debilitet. Velim eſſe veram
Creditam omnibus hanc opinionem.
Deus, dum mihi de mali metreta
Triſte atritida munus extuliſſet,
Non prompſit mihi vaſe de bonorum
Opes, quę mala noſtra mitigarent.
Sive illas ratus haud mihi expedire:
Sive ut aſsiduo dolore preſſus,
Implorem aſsiduò a Deo medelam,
Cujus nil ſine providentia fit.
Quicquid ille hominum Deûmque Rector
De nobis ſtatuit boni malive,
Fronte æqua patienter eſt ferendum.

Ad Pantaleonem Candidum Auſtriacum.

SIve tones grandi ſublimia verba cothurno,
Sive canas Elegos, Candide, cuncta decent.
Tu ſcribis Clio, tu ſcribis Apolline digna:
Vſque adeo felix, Candide, Muſa tua eſt.
Omnia ad exáctam tibi ſic tractantur amuſsim.
Pręmia Ariſtarcho ut judice prima feras.
Sed dum tu ſacros meditare epigrammate verſus,
Commendat ſtudium gratia quanta tuum!
Nil niſi perfectum eſt, omnique ex parte politum,
Quodque tuum genium prodat & ingenium.
Sic tibi ſucceſſu veniunt dum cuncta ſecundo,
Candide, ſi neſcis, candida fama tua eſt.

Ad Petrum Friderum.

PRæceptis teneram quiſquis formare juventam
Aggreditur, magnũ & pulchrũ opus aggreditur.
Nam puerum inſtituens primis præceptor ab annis,
Iudicio peragat cuncta neceſſe bono eſt.
Qui ſeſe inſinuat, raro eſt reparabilis error:
Vſque adeo pravi eſt priſtina culpa tenax.
Teſta recens primum, quo imbuta eſt, ſervat odorem:
Chartaque calchographos excipit alba typos:
Quos niſi correcta prudens librarius arte
Exprimat, haud tollent præla ſecunda notas.
At tu ſic Phœbo ſtudiumque juvante Minerva
Quidlibet exactê, docte Fridere, facis:
Perfacili methodo dias ediſcat ut artes
Pręceptis pubes erudienda tuis.
Et tibi ſe Latię debent compendia linguę:
Quę tu non parva cum utilitate doces.
Perge age: poſteritas meritis ſubſcribet: eritque
Perpetuus poſthac, quo cumuleris, honos.

Ad Linum Sagatium.

SVetam non niſi pipione veſci,
Aſſa aut turture, vel ſpadone gallo,
Perdice, aut meliore phaſiano
Invitas: patinaſque bubula, atque
Vervecina oneras, ſuiſque tergo:
Convivam haud memor heic tibi eſſe Gallam,
Palati, Line, fœminam eruditi.
Lardum non comedit Pſecas libenter,
Extremis niſi partibus ſit aſſum.

Ad Georgium Cęcilianum.

Æquo

AEquo animo pateris convitia, Cæciliane:
Et te hac laudari ſimplicitate putas.
Laudatur meritò patientia ferre coactis.
Qui ſapit ultorem, Cæciliane, timet.
Argueris timidus, dum circumſpectus haberi
Poſcis: & hæc virtus certê aſinina tua eſt.

In importunê iocantes.

DVm malo tumidi pedes dolore
Nobis excruciantur: & medela
Sæva atritis eget, movere riſum
Iocis deſinite, o boni ſodales,
Quos admittere neſcit ægritudo.
Conſolatio nulla, nec facetæ
Duro tempore fabulationes,
Nec cibus juvat, imperitus iſtam
Dum curabit Aceſias podagram.

Ad Antonium Caſſium Appulum.

ACrior eſſe tibi videor, nimiumque ſeverus,
Caſſi, quòd ſcribam carmina amara nimis.
Falleris: hoc verſûs noſtri natura requirit,
Vt ſtimulis ſcateat linea crebra ſuis
Perſtringo, fateor, vitium vehementiùs: atqui
Perſonas tectis tranſeo nominibus.
Si qua Lycambæo furit ardens pagina reſte,
Nemo, legat quamvis, noverit eſſe ſuam.
Perſpicuū quod erit, quod purum, quod breve, Caſſi,
Melle aut felle fluens ſitque epigramma ſale.

Ad Paulum Meliſſum.

FVco fucus ineſt: nihilque præter

Fucatum loquiturque perficitque.
Nil fucatius eſt, Meliſſe, Fuco.
Sed fucatior eſt quater quaterque,
Fraudat quæ thalamos, velutque caſta
Vxor diligitur ſuo marito.

De Orlando Laſſæo muſico.

SVavia miramur Thebani plectra Poëtæ,
Et Metymnææ fila canora lyræ:
Et quæ Biſtonii modulans ad Strymonis undas
Threiciæ Vates protulit arte chelys.
Laudamus meritos. Virtuti nempe bonorum
Invita ſua laus redditur invidia.
Atqui id ſi ſpectes, ſaxis ſilviſque videbis,
Et cantata vagis illa fuiſſe feris.
Sed quanto majus fuerit Divoſque hominesque
Flectere, & Aoniis conciliare modis?
Pace tua, Latoë pater, comperta fatebor:
Hoc docta Orlandus præſtitit harmonia.
Si cui Caſtaliæ debetur gloria palmæ,
Ille ſit æterno laudis honore prior.

Ad Abrahamum Ortelium Coſmographum regium.

ORtelius nobis ſe ultro promittit amicum:
Proh pudor, id pridem poſcere debueram.
Imo prece, aut precio, aut quovis mercarier auro:
Aut auro ſi quid carius eſſe poteſt.
Candor enim illius tanti eſt, doctrina, fideſque
Rara animi, & cultis dotibus ingenium.
Inferior Virtute igitur ſuperabor ab illo?
Sic vinci a comi nempe ſodale juvat.

Accipe

Accipe quod poſcis, doctiſſime: meque per ævum
Vtere: Propritim ſic tuus eſſe volo:
Sic tuus eſſe volo, ut de me ſtatuas, jubeaſque
Quidlibet: hoc certi pignus amoris habe.
Hoc titulis gaudebo meis accedere, quòd pars
Vna ſodalitii ſim potis eſſe tui.
Sequanico cantate Dubi gaudebis: eruntque
Cognita per Belgas nomina noſtra plagas.

Ad Petrum Lepidum Metenſem.

ARcanum, Lepide, explicas ſodali?
Libertas tua jam periclitatur.
Orco Ixione natus eſt receptus:
Cœlum Tyndarei tenent nepotes:
Cæteri Elyſios colunt receſſus:
Quibus ſancta fides amorque cordi
Fuit. Nos hodie nihil videmus
Vera amicitia quod eſſe dignum
Poſſit: Omnia peſſum eunt: & umbras
Corporum vice creduli fovemus:
Noſtro tempore futiles viri ſunt,
Quod vix credibile eſt, & eruditi.

Ad Fridericum Leſſotam Steblæum Sileſium.

INgenium, Friderice, tuum, facileſque Camœnas
Miror, & eloquij verba diſerta tui.
Hæc mihi conceptos animo minuêre dolores,
Atque iterum me me reſtituere mihi.
Talia Biſtonium, peteret dum Tartara, Vatem
Credibile eſt docta concinuiſſe chely.

Tormentiſque animas, & pectora mœſta levando
Dicitur infernas imminuiſſe cruces.
Sic curæ a nobis ſubitò fugêre, meam dum
Flexanimo lenis carmine triſtitiam.
At te Phœbus amet: tibi ſic ſuaviſſima Pitho
Mellifluis tingat docta labella favis.
Sic Leſſotææ ſidus geniale ferarıs
Gentis: ſic Viadri gloria prima tui.

De Coquo & Vetula.

TOrret ut ignitis integro cortice prunis
Caſtaneas modica cultus ab arte coquus:
In ventos humor calido dum ſolvitur æſtu,
Hiſcentes ſubitis concrepuere ſonis.
Ne pedant, tenui ſciſſura incîdere oportet
Haſce nuces, puero proxima dixit anus.
Cui puer: hirto igitur, mater, quam cingis echino
Nunquam vel prunis torrida pedet, ait.

Ad Omphacen.

ACre eſt ingenium, Omphace, tibi, acres
Mores, acris in omnibus voluntas.
Acris vita tua eſt, & acre nomen.
Imo (quo breviùs loquamur) ipſa
Acrimonia tu potes vocari.
Cur non acre etiam dares acetum?

Ad Langæum.

INſulſum quid me vocitas? caligæ mihi quòd ſint,
In quibus aut nulla eſt bracca vel exigua.
Sed magis es fatuus, gemino cui bracca cucullo
Non minor exertum ſeparat una femur.

Nugaris: ſtabulum quantum ſolet eſſe, frequenter
Clauſi illo tanti penè putantur equi.

Ad Paulum Corteſium.

QVòd me quæſierıs domi ſubinde,
Nec ſim, Paule, tibi doles repertus,
Culpâ omni careo. Quis uſque & uſque
Claudi ſuſtineat, librıſque pronos
Excæcare oculos velit libenter?
Nobis eſt ſtudium minus ſeverum.
Quod certis mihi mitigatur horis
Luſu, vel modico deambulatu.
Sed tu me quereris domi fuiſſe:
Quod dixiſſe tibi Philippa fertur:
Id nullis, ſcio, teſtibus probabit.

Ad Alardum Quintulum.

SOllicitant Lippum permulti ut migret in urbem;
Seceſſum præfert ruris at ille ſui.
Delirare putas hominem: ſapienter agit rem.
Namque ille eſt vici gloria prima ſui
Vixerit is cives doctos milleſimus inter,
Poſtremum ſemper juſſus inire locum.
Non ſine judicio Lippus gerit omnia. Princeps
Cæcorum in regno, Quintule, luſcus erit.

Ad Lælium Cleopaſſum.

NOn tantus meus error eſt putandus,
Si dum perſimilem tibi ſtatura,
Et vultu, & patria, atque amore ſummo
Conjunctum eſſe Leontium viderem,
Vos fratres ego ſuſpicarer eſſe.

Non abſurdè uterinus ille dici
Eſt potis tibi: namque, ſitis olim
Diverſo geniti licet parente,
Ambos, credo, uterus tulit Lycıſcæ.

De Plautia Pylæa.

DIves & ingenua natus de plebe Philippus
Conſortem thalami Plautiam habere cupit.
Illa tumens titulis & nobilitate paterna,
Vah ait, indigni conjugis uxor ero?
E patria ſociam quærat ſibi fece Philippus.
Nunquam tam vili polluar ipſa toro.
Dumque moratur Hymen tædas præferre jugales,
Compreſſa eſt ſervi calliditate patris.
Plebeium ſtultum eſt non admiſiſſe maritum,
Cùm te nec famulo concubuiſſe pudet.

Paulo Aloyſio Amano.

QVid tibi promittis? quid ſpe te paſcis inani?
Non eſt arbitrij Lyda ſororve tui.
Concinnata tuis non eſt hæc faucibus offa:
Tu nondum juſti ponderis inguen habes.
Dum licet, egreſſumque vides, cane, Paule, receptus:
Fibula conſtringit non benè nexa femur.
Nî tibi contingat Satyro quod fecit Apollo,
In ſtulti vereor ne moriare cute.

Ad eundem.

VT ad te veniam rogas, Amane,
Cœnaturus apud tuam Phlogillam.
Cui reconciliarier ſtuderes,
Antequam tibi ſubrogetur alter.

Nunc

Nunc prodire per occupationes
Neutiquam licet: at probè monenti
Si parere velis, utramque miſſam
Phlogillam facies ſimulque Lydam.
Ludis namque operam: in domo utriuſque
Illud juris habes miſer, quod acer
In pingui canis obtinet macello.

De Taræo.
Ad Nic. Goullonum Metenſem.

DIpſas anus parco datur edentata Taræo:
Dotem non curvam ducit avarus anum.
Conſultum penui eſt, dixit, ſportamque macelli
Non toties loculos evacuaſſe querar.
Auferet una famem puls, conſciſſumque minutal:
Nil ſolidi amiſsis dentibus eſſe poteſt.
Cœna tamen ſumptu multo majore paratur:
Dum minùs illa cibi, plus capit illa meri.
Fallimur, exclamat, vetulæ ſupereſt gula: nam quò
Parciùs illa vorat, largiùs illa bibit.

De luppo a ruſticis capto.

LVpum ruſtica gens ferum & rapacem,
Infeſtumque ovibus capit: cruci quẽ
Suffigendum alii volunt, vel igni
Torrendum: aſt alii ſecante ferro
Conſciſſum canibus dari vorandum.
Inter quos aliquis malis maritus
Factus auſpiciis (quod evenire
Non paucis ſolet) o viri, inquit, iſtas
Furcas tollite, reſtiumque nodos,
Ferrum, ignem, laqueos, crucem, flagella.

Sunt leviſſima. Majus inferendum
Sonti ſupplicium. Iubetis illum
Pœnas, ut meruit, luiſſe? nubat.

Ad Fuſcum.

GAllica Burgundos vocitant dicteria ſalſos:
Hoc me vexari ſcommate, Fuſce, putas.
Ad ravim uſque, licet, clames id, Fuſce: viciſſim
Inſulſus mihi eris, dum tibi ſalſus ego.

Ad Gongylum.

SEnſi non ſemel, id mihi fatendum eſt,
Tuæ munera liberalitatis.
Nec dictus ſemel optimè mereri
De me: quin tibi gratias rependi.
Sed ex quo benefacta publicare,
Et præco tuus eſſe maluiſti,
Mî indictum eſſe ſilentium putavi.
Primæ nam hac ratione firmus antè
Nodus ſolvitur obligationis.

Ad Paulum Meliſſum, de Arno.

XAntippę nupturus abit malè providus Arnus:
Quartanæ huic poterat mitior eſſe tremor.
Cur? quia nulla unquã miſero expectanda quies eſt:
Rides, & quæ ſit cauſſa, Meliſſe, rogas?
Imperioſa virum per jurgia mille necabit:
Et ſumptu loculos hauriet atque latus.
Febriat ille licet, detento febre quieti
Namque duo poterant de tribus eſſe dies.

In Nydartum.

OBtrudi ſibi cuncta vult Nydartus,

Vnde conciliari ait cachinnum.
Ductum illi omnibus inquit eſſe callum:
Idcirco omnia liberè fateri.
Vngues in ſcabie inquinare tali
Si velim, objiciam & ſimul probabo
De multis aliqua omnibuſque notas
Riſum fortè tibi illa concitabunt,
Sed Sardous erit, Nydarte, riſus.

De Langæo.

DEſinet ergo vagus Langæus amoribus uti,
Et priùs inſueta lege maritus erit.
Dum laqueis igitur vetus eſt vulpecula capta,
Gallinis tutò nunc licet ire foras.

Ad Iuliam Iſſam.

VEnturum eſſe virum ſpondebat Lælius, idque
Pignoribus cautè fecit utrinque datis.
Obtiuuit precium nondum redeunte marito:
Deluſam ſic te, Iulia, conquereris.
Nunc colaphis certa, & ſervato pignora: ab illo
Sic fiet nullo ut decipiare modo.

Ad Lælium Cleopaſſum.

OMphacen, Cleopaſſe, mi colendam
Suſcepi: hanc homines licet Deique
Oderint malè. Belluæ trifauci
Sic Tirynthius, aureique pomi
Cuſtodi vigili obtulit vorandam,
Sic tauris Pagaſæus offam Iaſon.
Majores ſequimur, bonis maliſque
Deis ſacrificando: ut hi nocere
Deſinant, alii ut velint juvare.

De Pontia.

FLagitat ut ſcriptis celebretur Pontia noſtris:
Mercaturque datis carmina muneribus.
Sed neq; forma tibi eſt, nec gratia, nec genus, aut qua
Tu celebris poſsis eſſe, pudicitia.
Quòd ſi non moriar donec laudabere nobis,
Evincam Pylii tempora tarda ſenis.

Ad Arnum.

EST uxor tibi quæ ſtomacho jejuna laborat:
Neſcia ferre ſitim, neſcia ferre famem.
Ova duo abſorbet poſtquam diluxit: & illi
Fervida Dictæus diluit ora liquor.
Et molli ſtertens poſt hæc jentacula ſomno,
Expectat placida prandia lauta gula.
Diſplicet hoc vitium tibi, ſed malè diſplicet, Arne.
Iſto aliud conjux majus habere poteſt.

Ad Paulum Meliſſum.

DOna qualibet ingere & ſuperbo &
Ingrato Lamia, Meliſſe, perdes
Dona qualibet, & ſcies ſuperbum &
Ingratum Lamiam fore. Ille quodvis
Munus ſpernit, & accipit tamen: ſed
Nec grates agit aut rependit ullas.
Aſtutè: Omnia nec pili æſtimando
Res ſuas agit hoc modo, ut nec ipſi
Datori in minimo ſit obligatus.

In Margiten.

ANtiquam ducens ſeriem de ſtemmate priſco
Margites claris ſicque ſuperbus avis,
Plebeio inſtitui reputat ſibi turpe magiſtro.

Plebeio Virtus quare amet eſſe loco?
Nobilis antiquę ut videatur ſtirpis aſellus,
Nobilis illi aptê doctor agaſo datur.

Ad Veturium Leontium.

NEc nimis petulans, nimiſve amarus
Tuis ſcommatibus ſoles, Leonti,
Hanc perſtringere lenam & impudicam.
Non, ſi tetra aconita, ſi rubetas,
Reſtes, & laqueos vomas in illam.
His pejora meretur illa Erinnys.
Quod ſcriptum eſt brevibuſque lucidiſque,
Et verbis Latiiſque propriiſque,
Mel ſel ſalque epigramma habere debet.

In Fucum.

SCripta Gigantæo dum ſtruxit Fucus hiatu,
Ridiculus vaſto eſt mus generatus Atho.
Proſtabatque liber, ſed quem nemo velit emptum:
Iam chartas malet bibliopola meras.
Cum pipere & ſcombris divendi poſſe putavit:
Hunc nihili aut quovis inſtitor aſſe tulit.
Et domus omnis habet confectos inde cucullos:
Sic Fucus tota ſe putat urbe legi.
Inter quiſquilias ſordent fragmenta, ſed eſſe
Tergendis natibus commodiora queant.

In Omphacen.

OMphace famulos habere mavult
Fungos & fatui rudes cerebri,
Quàm cultos benè moribus politis.
Horum judicium veretur: illos
Nauci non putat aut pili æſtimandos.

Vexat pro arbitrio fame ſitique,
Contemptosque laboribus fatigat.
Oderunt dominam, omnibuſque diris
Devovent ſimul, & malè imprecantur.
Has novit tamen imprecationes,
Et perfert toleranter has, atque.
Oderint, metuant modò, ferem us.
O ſententia congruens Neroni!

Ad Ponticum.

A Te ſat memini quondam me, Pontice, amatum,
Reddere nec gratas me voluiſſe vices.
Hoc ideo feci, quo me importunus amare
Deſineres: tanti non ego amare volo.
Nunc quia me leviùs, multoque remiſsiùs ardes,
Pontice, te quàm cor malo videre meum.

De Lea puella.

IAm non capripedes negabo Faunos:
Nec quas pubetenus nataſſe piſces
Fama fert Acheloidas puellas.
Nec quas Telegoni parens figuras
Verſis corporibus ſubinde fecit.
Nec monſtri ſpecies triplex Iberi
Eſt mira, aut Lyciæ pavor Chimeræ.
Solam ait Lea ſe domi fuiſſe,
Quadrupes tamen, occiputque binum
Eſt, & viſa duplex habere tergum.

Ad Ponticum.

TAntus amor meus eſt in te, ut vitæ ſtudioque,
Teque meo cordi, Pontice, prætulerim.

Im-

Impius erga me ingratuſque videris: Oportet
Diſſuere, at nunquam rumpere amicitias.

In Fucum.

OCcurrit quoties mihi ille Fucus.
Scriptor ridiculi miſer libelli,
Obtundit mihi lectione crebra
Nugarum caput: & meum requirit
In his judicium. Inſtitor petatur,
Qui ſalpamque, piperque, capparimque,
Cordyllasque breves cavis cucullis
Divendit populo. Tamen rogatus
Nequid diſsimulem amplius, videris
Aſellus mihi palliatus eſſe.

Ad amicum.

QVòd graviore rogas ut ſcribam carmina verſu,
Nec pede quo ſoleo tam petulante jocer.
Id decet hos, ſacræ quibus eſt nexa infula mitra:
Eſt mihi, ſi neſcis, Muſa remiſſa magis.
Hæc tamen indigno nulli unquam noxia morſu,
Hactenus immiſſo nec gravis ungue fuit.
Quòd ſi fortè tui nugis applaudere Fuci
Non potuit, bombos hæ meruere alios.

Ad Alardum Quintulum.

SI quid liberiùs procaciúsve
Dicas aut facias, mihi imputatur.
Si ſalſè loquar aut nimis licenter,
Auctorem ſapere id ferunt Alardum.
Si verum eſt, imitarier probamur
Illos, Quintule, qui nigris caminis
Labore aſsiduo excoquunt metalla,

Tactu qui citò mutuo inquinantur.

Ad Ponticum.

SIme, Pontice, amas, merui tibi, Pontice amari:
Odiſti? eſt odii non mihi cura tui.
Tanti ego amicitias mercari, Pontice, nolo.
Qui proſtat donis eſt inimicus amor.

Ad Gongylum.

COEna lauta tua eſt, & eſculentis
Plena eſt omnibus: ac graves meraco
Sitis pernicies, tument lagenæ.
Elixis gabatæ refertę & aſſis
Famem ſufficiunt levare noſtram.
Pulchrè quęlibet, & benè ordinata.
Sed his, Gongyle, ſalque gratiamque
Perlecti toties tui libelli
Tollunt, qui ſaturis queant placere.
Veni quò recreer vocatus, haud ut
Nugis putidus obſtrepas edenti.
Dum gula eſurit obſtruuntur aures.

Ad Georgium Cæcilianum.

VTere conſilio rebus prudenter agendis,
Et ſimilem ſimili junge paremque pari.
Inſana inſano quare Aulo Pyrrha negatur?
Par utriúſque ætas par utriuſque color.
Ditior hęc fertur, nam prædia poſſidet ampla:
Indiga ſed formæ eſt indiga & ingenii.
Præter virtutiſque & opum (ſi dicere fas eſt)
Cæciliane, rei núllius Aulus eget.

Ad amicum.

BIs denis mihi jam peracta luſtris

Ætas

Ætas vertitur: ablicatque rara
Caput canicie: nitetque vultu
Flos tener juvenilis in ſenili.
Te verſa vice Olympias novena
Vix dum vidit: & es nive atque oloriis
Pluma candidior: tuamque frontem
Striatis caperat ſenecta rugis.
Hebes méque ideo vocas maritum.
Nulla Hebe thalamo meo recumbit:
Rore Acidalio nec ora lavi
Pulchris Orchomeni cavis receptus.
Lecto cęlibe dormio, mihique
Importuna Venus, Severe, non eſt:
Nec rumpit mihi amor vagus quietem.
At tu in perpetua actione totas
Inſomnis teris, exigiſque noctes,
Equarum in ſtabulo cubare ſuetus.

In Effigiem Pauli Meliſſi.

SIc gerit os oculoſque, incinctaque timpora lauro,
Quē Muſæ & Phœbus, quēque amat ipſa Charis.
In cujus labris Pitho Suadæque medulla
Theſaurum eloquij conſtituere ſui.
Denique hic eſt toto celeberrimus orbe Meliſſus:
Notus apud ſuperos, atque apud antipodas.

Inſcriptum crumenæ Sericæ.

FVr, aliò tendas: non hinc tibi præda paratur:
Nam Muſis tantùm eſt ſacculus iſte ſacer.
Plena alij ſervant rutilis marſupia nummis:
Lucra parata illinc, & tibi reſtis erit.

IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI EPIGRAMMATVM.

***

LIBER SECVNDVS.

Ad librum ſuorum Epigrammatum.

DISCE, diſce, libelle, diſce poſthac
Nulli diſplicitura comminiſci.
Scribe Naida caſtam, & eruditum
Inſulſi auriculas Midę gerentem.
Sancto carmine finge Chriſtianum,
Qui ſolo profitetur ore Chriſtum,
Vita ſacrilegus ſit & profanus,
Et ſummum licet expuat Tonantem.
Noſtra tempora ſic volunt jubentque,
Si vis doctus haberi, & eruditus.
Cur nullam tibi gratiam decuſque
Tot nugę pariunt laborioſę?
Adularier, o libelle, neſcis.
Neſcis, crede mihi, neceſſe quid ſit

Noſtro tempore: ſimplicis figurae es.
Diverſa varianda vita forma.
Sis gnatho, paraſitus, improbuſque,
Impudenſque, maluſque, conſciuſque,
Aſſentarier & libelle noris,
Tu convivia, tu domos potentum,
Amplexuſque petes negante nullo.
Non potes video, ſcaphamque dicis
Scapham: nec tenebras diem aſſeveras:
Antiquos ſequere, imperite, ronchos:
Et nullis femoralibus maritos
Securè ſolitos chorum inchoare:
Nec laudabere, nec placebis ulli.
Perge, perge libelle, perge ſemper,
Contemptus domino licet minetur,
Vera dicere vera comminiſci.

AD ILLVSTRISSIMVM POTENTISSIMUMQUE Principem,

IOANNEM Comitem Palatinum Rheni, Ducem Bavariæ, Comitem in Veldens & Sponheim.

QVOS legis, o Princeps fortunatiſſime, verſus,
Boiſſardi hos mittit feſta Thaleia tui.
Optat longeva tibi dulcia tempora vitæ,
Vxorique tuæ, pignoribusque tuis.
Optat ſemotis tranquilla per otia curis
Hęc vultu ut placidus liberiore legas.
Tu tibi devotum potis es ſervare poëtam:
Cujus es & fautor pręſidium atque decus.
Ille parùm gratus tibi ne videatur, adornat
Xenia, quę ſtudii ſint monimenta ſui.
Quæ tibi ſi placeant, grates Superiſque tibique
Dicet, & hoc poſthac munere dives erit.

Ad Henricum Sueberum Bipontini Ducis Cancellarium.

Aſtrææ

ASTræ & Themidis ſanctæ intemeratæ Sacerdos,
Boiörum ut magno es Neſtor & ipſe Duci:
Qui bibis Aoniæ ſacrum laticem Hippocrenes,
Et pangis Clario carmina digna Deo:
Sæpe ego te volui multâ impartire ſalute:
Atque retenta mea eſt ſæpe pudore manus.
Sed Lepidus, qui præco tui candoris ubique eſt,
Immunem iſtius me jubet eſſe metûs.
Experiar, dixi: neque enim temerarius eſſe
Arguar, ignotum ſi coluiſſe ferar.
Hoc patitur Princeps, quo nil clementius eſſe,
Aut quicquam toto mitius orbe poteſt.
Credibile eſt te doctrina ingenioque politum
Perſimilem domini moribus eſſe tui.
Boiſſardum Suebere igitur tibi diſce dicatum,
Imperioque tuo nominibuſque tuis.
Quòd ſi me recipis, nec dedignaris amicum,
Narrabit laudes pagina crebra tuas.
Præſtabo officiis ne poſſis jure videri
Poſtea amicitiæ pœnituiſſe meæ.

Ad Pantaleonem Candidum Auſtriacum, Eccleſiæ Bipontinæ præfectum.

CAndide Caſtaliis dilecte ſororibus, abs re
Non eſt quòd niveæ nomina mentis habes.
Candida vita tibi eſt, doctrina eſt pura: tibique
Suavibus inſtructum eſt moribus ingenium,
Adde quòd & Superûm reſponſa arcana recludis,
Atque e ſuggeſtu dogmata ſacra doces.
Interpres ſummi cùm tu dicare Tonantis,
Candoris nivei nomine dignus eras.

Ad amicum.

ARcanum tibi dixeram, idque in aurem,
Lege hac ut tibi creditum taceres.
Dicis id lapidi, inquis, atque muto.
Nunc muti & lapides, quid hoc? loquuntur.

In effigiem Nic. Reuſneri Leorini I. C.

REuſneri faciem pictam qui viderit, & quas
Vivaci ſuevit lumine ferre faces:
Talis erat quondam frons inquiet alta Solonis:
Si tegerent cani timpora, Neſtor erat.
Tu bonus es judex, ſpectator candide: ſed tu
Soliùs cernis corporis effigiem.
Quòd ſi doctrinam noris, moreſque politos,
Polleat & quantis dotibus ingenium.
Delie, tu dices, ſpretæque valete Camœnæ.
Hic mihi erit Phœbi Caſtalidumque loco.

In ejuſdem inſignia.

MAgnanimum geſtant inſignia veſtra leonem,
Exerto cujus ſidus in ungue micat.
Perpetuum ſigno hoc Leorina ſidus in urbe,
Quod Reuſnerorum ſtemmata nobilitet,
Promiſit Virtus, nec vos decepit: at inter
Tot patriæ ſtirpis lumina quotus eris?
Cùm genus illuſtrent Reuſnerum ſidera multa,
Tu gentis potis es Phosforus eſſe tuæ.

Ad Georgium Bertinum Campanum Medicum.

NAturæ interpres magnæ doctiſſime, rerum
Cui Phœbus cauſſas noſcere poſſe dedit:

Cui nihil ignotum eſt, cælo, terraque, marique
Compages lati vaſta quod orbis habet.
Pectoribus diis quoties mens enthea flagrat:
Solvis & interno labra agitata Deo:
Quàm lingua tradis Medicina arcana diſertâ!
Et multa plenis utilitate libris.
Quicquid ad humani conducit corporis uſus,
Congeſta argutê diſſeris hiſtoriâ.
Qua primùm morbus naſcatur origine pandis:
Saneturque idem qua ratione doces.
Quid potuit lectis melius Podalirius herbis?
Dextera quid Coi doctior Hippocratis?
Omnia tu peragis Muſis & Apolline digna:
Atque quod ex omni parte probetur opus.
Propterea, Bertine, colit te Gallia tota:
Et geminæ nati finibus Heſperiæ.
Et Rheni ripam tua fama implevit utramque;
Imo Europa tua laude ſuperba tumet.
Æternumque tibi nomen doctrina paravit:
Quàm pulchrum ingenio eſt innotuiſſe ſuo!

Ad Dionyſium Lebæum Batilliū Tricaſſinū.

Q*Vicquid homo aggreditur, quicquid molitur & audet*
Nil niſi quod vanum eſt audet & aggreditur.
Arbitrio inſtabili Fortunę cuncta rotantur:
Omnia temporibus ſtantque caduntque ſuis.
Pyramidum intereunt moles, vaſtique coloſsi:
Marceſcuntque putri marmora quaſſa ſitu:
Forma perit: languent corrupto robore vires:
Aggeſtis fulcrum eſt debile divitiis.

Sola animi extrema monimenta a morte ſuperſunt
Famaque quę docto quęritur ingenio.
Quam tibi jampridem vigiles peperere labores:
Vt titulis deſit gloria nulla tuis.
Vt taceam exacta quæ Emblemata facta Minerva,
Et bis centenis ſunt tibi facta typis:
Faſtorum ſeriem, & tranſactis tempora ſæclis
Quàm pura & facili promis in hiſtoria!
Quid quòd & Aonia ſtudium admirante Thaleia,
Caſtalio pangis dulce poëma favo?
Nonne hoc egregiis famam eſt extendere factis?
Dignaque Virtuti præmia ferre tuę?
Pręmia quę meritis veniunt dum congrua, nonne
Terfelix dici jure, Lebæe, potes?
Lemniſcata tibi ſuccinget timpora laurus,
Æterna ut poſsis poſteritate frui.

Ad Paulum Meliſſum, de Pyrrha.

PYrrha audit malè: & hęc negat dolere
Sibi aures culicem audiet volantem:
Et greſſum tipulæ procul notabit.
Falſa eſt fama igitur, Meliſſe: non eſt.
Natura, atque mala educatione
Damnum hoc traxit ab unguibus tenellis.
Cui gradaria mater eſt, Meliſſe,
Nata hujus facilè ambulat tolutim.

Ad Franciſcum Loyſium V. M. Doctorem.

SAcra Machaoniæ exerces dum ſedulus artis,
Et tractas Coi dogmata dia ſenis:

Evulgaſque ampla Medicorum adſtante corona,
Naturæ arcano quæ latuere ſinu:
Regali dignum ſuggeſtu judicat omnis
Te ſchola Pæonia frunde revincta caput.
Culta tua facta eſt doctrina Gallia judex:
Atque tuum ingenium ſuſpicit & genium.
Sed tamen Auſtraſiis tu mavis utilis eſſe:
Et Gallis patriam præpoſuiſſe tuam.
Naſcimur, ut generi humano proſimus: ad uſus
Conmunes qui nil addit, ineptus homo eſt.
Sed patrię officium hoc primò debetur: id ipſum
Vt gratus prę ſtes, quàm ſapienter agis!
Idcirco acquiris decus immortale, Loyſi.
Virtutem ſemper gloria ſubſequitur.

In effigiem Iacobi Paſcharii Medici.

ARs ita naturam eſt ſollers imitata, labella,
Paſchari, credas ut tua velle loqui.
Si manus exprimere ingenium potuiſſet ut ora,
Hoc, Superi, quantum & quale fuiſſet opus!

De Laura.

DVm multo quatitur jocans cachinno
Laura mollibus inſidens tapetis:
Fortè contigit (huc repente & illuc
Dum latus petulentiore motu
Verſaret) gemina ſolutiore
Vt ſymplegade miſerit ſonum, qui
Nos fecit ſocios ſui cachinni.
Factum diſsimulamus, ut pudori
Parceremus obeſulę puellæ.

Cui rurſum harmonia intonanti, eadem
Heus, inquã, hac lyra congruente plectro
Servari thalamis poteſt ſuillis.
Sed nullo penitus rubore vultum
Tincta ſubjicit: Euge Laura, ſordes
Pectus nobile non tulit, ſed a ſe
Exploſit procul hoc modo. Euge Laura,
Eſto forti animo: Euge: commodè, inquam,
Equo te tubicem fuiſſet uſus:
Te nullus, licet imminente pugna,
Moviſſet ſtrepitus, tubęve clangor.

De Arno.

ODiſſe uxorem cunctis convincitur Arnus,
Frigida deſerto quòd cubet illa toro.
Hanc ſibi dilectam tamen aſſerit, atque marita
Vti ſe alterius parcat ut ille ſuæ:

Ad Carolum Renaldum, Decanum eccleſiæ S. Salvatoris apud Mediomatrices.

NI te, Carole amem, nî toto pectore geſtem,
Non amer a Phœbo, Caſtaliiſque Deis.
Tam mihi grata fuit terſæ facundia linguæ, &
Gratia tam doctis cognita colloquiis.
Quid quòd me fratris compellas nomine? nonne
Dignus Boiſſardi eſt hic amor officio?
Hercle, amor hic dignus qui me vivente colatur:
Et te germani nomine fratris amem:
Hoc igitur tibi ſacro caput cordiſque receſſus:
Majus amicitiæ pignus habere voles?

De Pyreto.

MArtinalibus unicum quem habebat

Occiſurus erat ſuem Pyretus.
Vicinum rogat anxius, quid illi
Facto opus foret: inchoante brumæ
Hujus tempore, ſingulis amicis
Si dandum xenium eſt, ait, mihi vix
Porcelli ſupereſt futura cauda.
Ereptum ſimula, inquit, atque vultu
Finge mœſtitiam doloſè: erunt ſic
Celandi tibi commodè botelli,
Conſultor monet optimè: ſed idem
Furto ſuſtulit ex hara ſuem: quem
Raptum de ſtabulo ut videt Pyretus,
Exclamat: ſimulatione nulla
Nunc utor: mihi raptus ex hara eſt ſus:
Cui vicinus: id eſt benè inſtitutum.
Dj boni, ingenioſus es vir! o quàm
Nemo fingere tè putaret! ore
Sic es compoſito probè ad dolorem.
Sic opus fieri, Pyrete: ſic ſunt
Celandi tibi commodè botelli.

In Antinomum.

ILla meo quondam quę conſobrina parenti
Extiterat, fatuum protulit Antinomum.
Qui conſanguineam non vult agnóſcere gentem:
Et me cognatum pernegat eſſe ſibi.
Perneget uſque, licet: lis illi hinc núlla futurá eſt:
Nec mihi cognatus, nec mihi amicus erit.
Propter quas demens poſcis venerandus haberi,
Hę, non tu, pòpulo, ſtulte, coluntur opes.

Pauper (ſed qui ſit Muſis & Apolline dignus)
Carior Irus erit, quàm queat eſſe Midas.

Ad Philippum Carionem.

VEni ad Medoaci, Philippe, ripam:
(Vbi Antennoreæ caput puellæ
Exornant radiantibus capillis)
Convenique tuæ Annulæ parentem.
Cui tuas ubi litteras dediſſem,
Ab illâ hoſpitio excipi rogabam.
Partem poſco domûs remotam ab omni
Fabrorum ſtrepitu: belciariorum
Quam celeumata rauca, quamque nullâ
Piſtoris mola, nec rudens aſellus
Infeſtet: Mihi ſubjicit facetè
Ridens: Poſterioribus relictis,
Quà venti tonitruſque ſunt frequentes,
Sumes anteriora, ſi placebunt.
Scripto ſubjicere hęc tuo jubebas:
His tu ludificas jocis amicum?

Claudio Bourgæo.

CVm tu inter primos, Claudi, numerere ſodales,
Quos mihi perpetuo fœdere junxit amor:
Nec longo inter nos ſpatio vicinia diſtet,
Tàm ſæpe alternis didimur alloquiis.
Neſcis amicitiam crebrò languere, niſi illi
Vitam ſæpe recens excitet officium?
Sed te non retinent moroſi oblivia faſtûs:
Eſt tibi mens niveis candida pectoribus.
Publica te aſſiduum tractare negotia novi:
Dum ſtudium poſcit curia tota tuum.

Perge age, ſic patriæ ſemper ſervire decorum
Eſt, noſtram quoties illa requirit opem.
Digna homine ingenuo res eſt ſollertia: dulci
Indignus vitę eſt munere fucus iners.

Ad amicum.

ARma paras & bella ſequi, cùm febre labores;
Et medici poſcis jam moriturus opem.
Helleboro eſt tibi opus: Quòd ſi nil profficit, & te
Non movet apta domus, non movet uxor amans:
Quid tibi cum Medicis? cùm venę ſectio proſit,
Mars chirurgorum millia multa dabit.
Ardens conflictu febris ſanabitur uno:
Præſtare id quiſnam Pharmacopola poteſt?

Ad Alardum Quintulum.

LEgi, Quintule, epiſtolam, & relegi,
Quam miſit tuus Annius. Facetè
Garrit: nec dedicit quid aula monſtri
Alat. Quem putat eſſe liberalem,
Quem comem, facilem, probum, benignũ;
Hunc ipſum invenies domi tenacem,
Moroſum, querulnm, malum, ſuperbum.
Nil fallacius eſt, minúſque certum
Aulę pollicitis: retecta vultûs
Eſt ſuperficies, latet ſub imo
Sed mens pectore, quę nequit videri.
Non quicquid nitet aut refulget aurum eſt.

Ad Abrahamum Fabrum Typographum.

ASſiduo dum te exerces, Abrahame, labore,
Arte typographica nocte dieque vacans;

Laudaris meritò. Sollertia roborat artes:
Ars omnis vigili ſedulitate viget.
Plantinum evexit ſtudioſa induſtria, & Aldum:
Illa eadem Stephanos reddidit & celebres.
Cum genero ſocerum laudamus utroque Vechelum:
Iure quidem: laudes nam meruere ſuas.
Vt pote procurent qui publica commoda: dentque
Correcto in lucem ſcripta novata typo.
Quorum dum ſequeris ſtudium, nomen tibi condis,
Et queis legitima laude ſi uaris opes.
Cui labor eſt inviſus eget plerumque: nec abs re:
Ignavum atque hebetem vexat acerba fames.

In maledicum.

CVi tincta eſt facies rubente cocco:
Cui dēs eſt ſcaber, os hians, capillus
Ruber, poſteriora terga gibba,
Pes alter brevior, putabis illi
Fidendum? Mihi non tripes Agilei
Perſuaſor fuerit: licet ſubinde hoc
Phœbus ex adytis canat recluſis.
Quem natura notavit, hunc caveto.

Ad Nic. Tentruſium.

DEvictam Iſthmiaco juveni quicunq; Chimærã,
Et Lycii ſcripſit monſtra ſubacta ſoli:
Vitæ hujus diverſa pericla, parumque fidele
Humani docuit corporis hoſpitium.
Has animas malefida caro (ut Sthenobœa pudicum
Hoſpitem & immeritum) fraude doliſque premit,
Servati Divûm tutela evadimus: ac de
Truncata ferimus rapta trophæa fera.

Quod

Quod tu perpulchro, Tentruſi, emblemate doctè
Inſinuas, vitæ conveniente tua.
Pegaſeo ſequeris dum Bellerophonta volatu,
Alta tibi facilem pandis ad aſtra viam.

De Arno.

SEnex Arnus amat, furitque quantùm
Inſanit media puer juventa.
Frigus pectoris, & nivem comarum,
Rorantem aßiduo liquore naſum,
Stillanteſque oculos, manuſque dura
Calloſas cute, concavumque ventrem
Ridendo objicit huic puella. Siccis
Ex lignis, ait ille, ſuſcitatur
Pyra ardentior, ac magis magiſque
Aridis violenta flamma ſurgit.
Ætas cur vitio ſeni eſſe debet?
Rigens judicio puella iniquo:
Naturam eſt imitatus ille porri,
Cui canum caput eſt virenſque cauda.

Ad Iaco. Chaſſignetum, Medic. Veſuntinum.

NIl mihi de Superis vultu indignante querendũ (eſt:
Vita ex majori parte ſecunda fluit.
Si mihi divitias Fortunę dextra negavit,
Contemptus ditem me facit unus opum.
Vivo mea cælebs contentus ſorte: nec ulla eſt
Quæ curas nobis augeat anxietas.
Tranquillum felix & non inglorius ævum
Vivo, & in Auſtraſia non inhonorus ago.

Atque in venturos nomen mihi prorogat annos
Quę mihi Muſarum fama favore venit.
Excultum Medicis te Chaßignete per artes
Percelebri ante alios Phœbus honore beat.
Tu locuples totâque equitas ſpectabilis urbe:
Lautaque nobilium prandia cultus adis.
Sed quoties faſtus (mihi quæſo fatere) ſuperbos
Cogeris, & fatuum ferre ſupercilium?
Malo, crede mihi, tenui jentacula lardo
Ante vacunales eſſe parata focos:
Quàm libertatem patinis mutare potentum:
Quę toto eſt nobis carior Imperio.

Ad Veturium Leontium.

Riſite, fateor quidem, Leonti.
Quòd nos (ut tibi comitas Calabra eſt
Dimittis quoties: vale, inquis, omni
Vale ſervitio colende in ævum.
Iube quęlibet, impera ſodalis:
Vrgens calcar equo quod eſt citato,
Id futura tua eſt mihi voluntas,
Calcari quid equus facit, Leonti,
Dum ſibi ilia ſentit icta? pedit.

Ad Lælium Cleopaſſum. De Chilone.

Chilonis contemno odium, deteſtor amorem,
Inde nocens, aut hinc utilis eſſe nequit.
Intonet uſque licet per mille injuria verba:
Et rabido tumidus jurgia felle vomat.
Ridebo, & furiis agitatum ſcommate monſtrum
Inſequar: hoc riſu quò furat ille magus.

Nam

Nam quę inculpatę ſibi mens eſt conſcia vitę,
Viperei ſpernit tetra venena labri.
Non omnis, Læli, ſed debet ſola probari
Laus, a laudati quę venit ore viri.

Ad Medicum. De Omphace.

OHe, quid medice oſcitaris? ac te
Non moves piger? Omphace ægra languet,
Ac tuam lacrymis opem requirit.
Obe, non properas ſceleſte? nec te
Delicata movet puella? bombum
Obtuſi crepuit ſoni: medelam
Aptam porrige, pharmacumque pedat
Vt argutiùs, illico valebit.

Ad Ludovicum Malarmæum Veſuntin. I.C.

SI tibi non viſum quereris pridem eſſe Iacobum,
Cujus amicitiam poſcis ut ille tuam:
Illius effigiem (muto quam dextra metallo
Deſignat) tibi nunc uſque videre datur.
Is quia non potuit præſens, argenteus ibit,
Materia ingenio conveniente ſuo.
Exprimit una eadem corpuſque animumque figuras
Candorem abſentis nempe numiſma refert.

Ad Petrum Lepidum Metenſem.

VIdiſti, Lepide, exerto mucrone Thraſonem
(Dum nemo obſiſtit) cuncta replere metu?
Oraque blaſphema ventoſa reſolvere voce?
Stultaque contempto fundere verba Deo?
Evomat uſque licet prędas, incendia, cędes,
Omnibus his cautum eſt: nil niſi verba vomit.

Audacem fatua præſefert fronte Leonem:
Degeneri pavidum corde gerit leporem.

De Antonia Lycæa. Quæ marito cæſo dolore conſternata, ſubita morte concidit.

FLebat, & inſiſtens tumulis Antonia cæſi
Conjugis hæc fuſis verba dedit lacrymis.
Si thalami algentes mihi poſt tua fata ſuperſunt,
Si mihi, vir, ſola morte carendus abes:
Ecce volens mortem ſubeo: nec plura locuta,
Corruit, atque oculos ſtrinxit, & occubuit.

De Ditmaro Ciſlebio Saxone.

DItmarus Idæi pereuntem Antennoris urbem
Liquit, ut Euganeis tutior eſſet aquis.
Nil minùs hunc lento preſſit languore jacentem
In mediis Aponi febris anhela jugis.
Sic omnem vitæ poſuit dum morte laborem,
Hunc Aponum electi reddidit aura loci.

Ad Leonartum Vncium Tranſilvanum.

DVm Tranſilvano cantas diademata plectro
Dacica, & Hungaricæ ditia regna domûs,
Magnum, Vnci, moliris opus: ſed quod duce Cleio
Felici poteris concinuiſſe tuba.
Batthoridem nacta ut fuerit tua Muſa patronum,
Principis auſpiciis vena diſerta fluet.
Progredere, & grandi ſublatus ad aſtra cothurno,
Lumina Pannonibus da diuturna tuis.
Intra te quoties pluteo indignabere cæſo!
Demorſis quoties unguibus æger eris?

Dum voti optatam compos pertingere metam
Sis potis, & lauri cingere fronde caput.
Sed tibi, ne dubita, veniet cum tempore juſtus,
Suſcepti merces magna laboris, honos.

Ad Paulum Meliſſum, de Pyreto.

SImus rus adiit ſuum Pyretus,
Dum Regalibus æſtuat Lygus.
Inter pocula jam ebrios agreſtes
Inſulſis ſalibus jocans laceſſit,
Tantum ludere ſe putans. Canina
Vt connubia, feſta ruſticorum
Rixis non ſine jurgiiſque fiunt.
Pugnis hunc alapiſque comprehenſum
Certatim excipiunt. Foras miſellus
Perciſo ore fugit, movetque riſum
His, quos læſerat antea cachinnis.
Rus ſuum petiit, Meliſſe, ſimus,
Cum naſo rediit domum Pyretus.

Ad eundem.

DVm ter ſeptenos & tres piſcator in annos
Aſſiduo cæcum capto labore fretum:
Nunc quaſſę ad ſilices rumpuntur vimina naſſę:
Nunc hami & calami gurgite depereunt.
Sciſſa aut nodoſo lacerantur retia plexu:
Aut vibrata in aquas fuſcina torpet hebes.
Cuncta reluctantur: fraudat captura laborem.
Pauper, & in vacua per vada lintre feror.
Ecce anguilla hamo tandem ſpem preter adhęſit
Longa, ſed exili continuata modo:

Aut aliquid forſan, vel nil cepiſſe videbor:
Tutiùs affirmem, Paule, ut utrumque reor.
Prenſabo hanc digitis: ſed cùm retinere putabo,
Viſcoſa effugiet lubricitate manus.

De Fuco.

SCripta qui volet imperita Fuci
Latrinarum ad opus, vel ad feneſtras
Harę vel ſtabuli reſarciendas:
Tabernas petat is ſalariorum:
Vnde vel minimo quadrante habebit
Quantum ulnis famulus feret duabus.
Nuſquam viliùs hac emet papyrum.

Ad Quinctium Lætum Romanum.

BArbarico turgens auſa eſt te ſpernere faſtu
Barbara, & ad thalamos nolle venire tuos.
Quę mihi cum tetricis, inquit, commercia Muſis?
Enerves reddunt invalidoſque viros.
Calloſus galea, & ſudoribus udus anhelis,
Deque nova rediens cęde maritus erit.
Arguit iſta trucem, Quincti, ſententia mentem:
Sed cur non ſaperet Barbara barbariem?

Ad Fucum.

IN *populo nihil eſt tua quod dicteria vitet:*
Vſque adeo lingue diceris eſſe malæ.
Triſtia, ut es ſolers, tibi, Fuce, venena leguntur,
Vnde favis nectar ſedula cogit apis.
Mygdoniam ingenio cùm ſic imiteris Arachnen,
Tu pendere inter retia dignus eras.

Ad eundem.

PAllidus ad populum prodis dum, Fuce, docendũ,
Et Curium geſtu, Fabriciumque refers:
Longaque palloris ſimulas jejunia cauſſam:
Id verum, cui non notus es, eſſe putat.
Viderit at cœnas quas tu deglubis Apicj,
Pallorem hunc dicet crapula, Fuce, facit.

In Zoilum.

DIſticha clarorum, nomen qua illuſtre virorum
Deſignant, geminis ſunt mihi ſcripta libris.
Inter quę noſtrum numerari, Zoile, rides:
Arguis & pręco quòd meus eſſe velim:
Arrogo quod nobis modicum eſt: ac judice quovis
Quicquid id eſt in nos jure quadrare poteſt.
Te quoque, ſi neſcis, numero ſignamus in illo.
Typhonem oſtendit quem breve carmen is es.

In Fucum.

NIle, Pargtonias qui diluis imbrifer oras,
Tot ſæclis proprius cui crocodilus erat:
Huc quoque tranſvecta eſt ad nos tua bellua: morſu
Et fictis lacrymis bellua facta nocens.
Sauciat incautos, & tetro lancinat ore.
Cœnoſis meliùs quàm latuiſſet aquis!

In Phorbum.

TEctam Phorbus ait colore culpam
Vultum prodere, conſciamque ſæpe
Pallorem arguere & probare mentem.
Si pallor notat arguitque crimen,
Potes dicier ipſe parricida.

De Fuſco.

LIberiùs ſoleo menſis ridere remotis,
Convivam quoties me meus Aldus habet,
Vidit id exhauſtas doctus ſiccare lagenas
Fuſcus, & hic, dixit, ſobrius eſſe nequit.
Falleris: eſt inter libertas grata ſodales:
Mutua quâ ſemper gaudet amicitia.
Pallidnli & nullo mihi tincti murice vultus
Potorem gelidę me ſatis eſſe probant.
At tibi quæ cocco radiat flammante proboſcis,
Aßiduê potum te arguit eſſe mero.

Ad Philippum Carionem.

PLanta læſa tibi eſt, & a meraco:
Vt jubent medici, abſtinére non vis.
Nimirum gula prævalebit, atque
Dum pes defuerit tibi unus, alter
Empuſæ aptus erit, Philippe, ludo.

De Xantippe Taræi.

TOrmina diſcruciãt Fabiũ, putria ulcera Fuſcũ:
Pánticibus fœdis Livia triſtis olet.
Morte ſuam Stephanus vellet mutare podagram:
Peſtifero tacta eſt antrace Laura femur.
Febribus aßiduis miſerê conſumitur Aulus:
Irum ſollicitat nocte dieque fames.
Sint ea ſæva licet, ſi vis me dicere verum,
Hæc quàm Xantippem malo, Taręe, tuam.

De eadem.

GAllica dum Eumenides quatiũt civilibus armis
Regna, datur miſeris ſub Phlegethonte quies.
Indoluit Rhadamantus: at his non eſt opus, inquit
Æacus: has terris deſtinat ira Iovis.

Quæ

Quę Furias ſuperet, noſtrumque exterreat Orcum
Vnam Xantippen namque Targus habet.

Ad Marcum Antonium Varanum.

INdulges nimium, Varane, rixis:
Nec prudens ſatis adſpicis quibus cum
Suſcepta eſt tibi lis. Potentiorem
Irritare cavet, ſibi benè eſſe
Qui vult. Vtilius Veturium atque
Lęlium faceres tibi ſodales.
Quibus cùm nequeas nocere, poſſunt
Mille te obruere in dies periclis.
Molire omnia quę voles, tibique
Modum occaſio ſuppetat nocendi,
Tu pugno lapidem, Varane, tundes.

Ad Fabianum Burgravium & Baronem a Dhona Boruſſum.

BAlthica dum repetis fluctu commota Gedano
Æquora, & alipedem jam premis altus equum:
Inſonuit Lithavis ſtridens aquilonibus aër:
Pruſſus in amplexus & tibi ventus iit.
Scilicet his ducibus, Fabiane, Boruſsida terram,
Et repetes tibi quos Memela ſulcat agros.
Æquum erat ut domino patriam repetente probaret
Gaudia non parvâ Mænalis urſa notâ.

Ad Petrum Lepidum.

QVam, Lepide, intueris byſſo ſplendere Camillā,
Gemmatoſque habili torque nitere ſinus:
Quam ſtola clavatis exornat Serica limbis:
Candida cui niveos cingit aluta pedes.

E jure heſterno, ut niteat, panem vorat atrum:
Deque cado putri mucida villa bibit.
Imo urgente fame rarô jentacula ſumit.
Quàm miſerè fraudat ſumptibus hiſce gulam!
Quid ſi eſſet vitam ſummorum imitata Deorum?
Quorum nil editur nil bibiturque domi.

De Taræo.

COmmeſſatori nubit vinoſa Taræo
Dipſas anus: ventri conciliata gula eſt.
Plaudant conjugibus lęti caupoque coquuſque:
Quod ſatagat deinceps unus & alter habet.

De Anna. N.

POlluerat thalamos, & erat deprenſus adulter.
Iamque erat extremo proxima ſupplicio.
Vt poſſet moritura mori, & pręvertere fatum,
Præcipitem mediis ſe dedit Anna vadis.

Ad Georgium Cæcilianum Patavinum.

DIxi Italos rarô ruffos ſine labe videri:
Nec lęſi famam, Cęciliane, tuam.
Arbitrio ſpeculi, ac te judice plura probabo,
Nemo unquam ruffus quòd ſine labe fuit.

De Friderico. N.

NVpturus flavę niger eſt Fridericus Amatę:
Geſtit, & aſſiduo dum ſcabit ungue caput.
Illa inquit, teneros imitaris geſtibus agnos.
Queis ruptâ emergunt cornua prima cute.

Ad Nic. Clementem Trelæum, in librum Hieremiæ Prophetæ.

LVges tempora noſtra, mi Trelæe.

Et luges meritò, tuoſque luctus
Lacrymis Solymi adjicis Propheta.
Non nos Aſſyriȩ ligant catenæ:
Nec ſumus Babylonio tyranno
Serva conditione mancipati:
Peccatis premimur, jugum ferentes
Immanis Sathanæ, impiæque carnis.
At nobis Deus unus ad ſalutem
Sufficit: ſacra naufragis ſit unus
Nobis ancora. Vindice hoc procellis
Circunſtantibus eximemur: atque
Noſtra ſpes (Lacheſis colum retundens)
Devicta ſtatuet trophæa morte.

Ad Rutilium Saraveſam Venetum I. C.

PRodeſt pauperies nonnunquam & triſtis egeſtas:
Eſſe aliquando inopem, mi Saraveſa, juvat.
Importuna meos quatiebat turba penates:
Noſtraque erat crebro plena ſodale domus.
Dixi, egeo: pignus poſcit me creditor aut rem.
Nec poſſum pignus tradere, nec precium.
Conticuere omnes: nemo mihi mutuat aſſem:
Diſcedunt: ſolus ſic ego deſtituor.
Non ego vos aurum precibus, mala turba, popoſci.
Noram vos: vobis mî caruiſſe ſat eſt.

De Pyrrha.

AVlo Pyrrha datur: thalamis præfecta ſororis
Tyſiphone piceas ventilat atra faces.
Applaudit triplici latrator Cerberus ore.
Dictat & a Stygia cantica lintre Charon.

Inſanum juvenem conjux rabioſa domabit.
Hac nulli poſſet ſors magis æqua dari.
Mortuus infernum nihil, Aule, vereberis Orcum?
Qui lecto vivens excipis Eumenidas.

Ad Veturium Leontium.

MIhi non vitio eſt puto Leonti,
i me ruſticitate neſciò qua,
Et curis retinentibus, Varano
Noſtro dimidium diem negarim:
Sis conviva licet ſimul futurus.
Terrent pocula me, ſcyphique grandes:
Bibo pro ut ſitis exigit, nec ultra.
Primus, dum bibis, & ſecūdus hauſtus
Siti traditur & neceſſitati.
Voluptas ſibi dat duos ſequentes:
Quintus ſanguineo datur furori.
Cui ſextus, rogo, ſeptimúſque cedet?

Ad Lætium Clopaſſum.

AMbit amicitias fucatum nomen Amandus:
Arce ab amicitia quem, Cleopaſſe, tua.
Ille ſui ſimiles Fraſcum, Gabiumque requirat.
Hunc non mentito nomine Phorbus amet.
Sed fuge, & illiús vita commercia, cùm ſit
Perfidus, & ficta ſimplicitate vafer.
Prętextu quovis quiſquis decepit amicum,
Hunc ego quo diras execror ore cruces.
Qui bonus eſt, galeæ Stygiĳ ſub tegmine Ditis,
Nec fuerit Lydi pejor in orbe Gygis.

In effigies Lælii Cleopaſſi & Veturii Leontii.

Quam

QVam vobis dederat vitam natura, ſororum
Arbitrio fuerat non benè tuta trium.
Nunc immortalis Vallæi reddita dextra eſt:
Æternus per quem vivere uterque poteſt.

In effigiem Petri Lepidi, à Larmæo Galloïo Trecenſi pictore depictam.

ANtè tibi dederant æternum vivere Muſæ:
Et tibi erat ſcriptis fama parata tuis.
Corrigis ecce iterum Parcarum ſtamina: quarum
Exoraſſe breves viſus es ipſe colos.
Larmæus cavit vivaci nempe tabella
Ne poſthac totum te Libitina ferat.

De Cæcilio.

AMat Cæcilius parentem utrumque:
Imo amat meritò uſq; & uſq; utrūq;.
Nempe qui patrimonii futurus
Hęres ſit locupletis. Vtque utrique
Sit gratus, ſtudet uſquequaque:: & optat
Ne mancam officii relinquat ullam
Partem: donec is ultimos honores
Debitos cineri ferat ſepulchro.
Succeſſit benè, Cæcili: atque lętus
Es non immeritò, quòd illa votis
Reſpondent: placuiſti utrique vivo
Iuſtis officiis: opus tuaque
Condignum pietate pręſtitiſti.
Mandaſti tumulo parentem utrumque:
Eſque heres patrimonii relictus.
Quid te lętius eſt beatiusque?

Ad Fucum.

SE mea nunc claudi poſcunt Muſæa, ſuiſque
Se queritur minui bibliotheca libris.
Illi ſuſpectum te reddidit unguis aduncus:
Forfice damnoſas, Fuce, recide notas.
Feciſti? Muſæa tamen te admittere nolunt.
Nam viſcata tibi eſt & piceata manus.

Ad Paulum Aloyſium Amanum.

EXcandeſcere non decet poëtam, aut
Iraſci petulantis & doloſæ
Iurgiis gravioribus puellæ.
Omnis fœmina maxima eſt Tonantis
Indignatio & ira: quę retundit
Mentem ſanam hominis: ſed hæc caveto
Maritale tibi ingerat capiſtrum.
Infelix domus illa jure dicta eſt,
Cui præeſt mulier: ſed illo duplo
Infelicior æſtimanda, Paule,
Vbi uxorius imperat maritus.

Ad Alard. Quintulum.

BAcchus amorq; homini juvenilia tēpora reddūt,
Sit Pylii emenſus ſæcula bina licet.
Ambit Xantippen luſtris bis quinque peractis
Arnus, & ætatem vincit, Alarde, ſuam.
Cæſaries pexa, & quę nos albere videmus
Traxere hanc morbis timpora caniciem.
Cætera vult juvenis dici: luditque, bibitque,
Luxuriatque epulis, luxuriatque choris.
Maturam hunc meritò dices tetigiſſe juventam,
Cui riget hirſutis auris utrinque pilis.

Ad

Ad Eryphylen.

TV rixas, Eriphyle, amas: & illis
(Anum ut Mopſopiam ferunt cicuta)
Vivis. Nulla dies tibi ſine illis
Poſthac accidat. Imo morte poſtquam
Tam rixoſam animam repoſcet Orcus,
Mille jurgia ſint tibi parata
Cum Diris: requies tibi negetur,
Vt nullam requiem tuis relinquis.

Ad Omphacen.

LEthalem triſti quiſquis vorat ore cicutam,
Pallet: qui potat vina Falerna, rubet.
Et tua qui imprudens repetit convivia, tota
Infamis ſubitò contrahit urbe notam.
Qui non vult ſentire tuę contagia linguæ,
Conviva is nunquam ſit memor eſſe tuus.
Horrendam monſtris fecerunt pocula Circen.
Sed monſtrum horrendum te mala lingua facit.

In Pyretum.

AVrita Arcadici propago aſelli,
Cui nulla eſt Charis aut Camœna amica,
Cui nec riſit amor parensve amoris,
Capax núllius aut joci aut lepóris,
Facetus tamen eſſe, & aſtimari
Stulta ruſticitate vult Pyretus.
Nugis putide deſine occupatis
Nobis obſtrepere, & movere riſum.
Quis non riſerit uſque & uſque? quòd dum
Vrbanus cupis eſſe, ſcurra fias.

In Fuſcum.

NObilis eſt Fuſcus, nemo inficiatur: at ille
Ignorat quo ſit caudice natus avus.
Nempe huic divitiæ fecerunt ſtemmata: fungi
Emergunt una ſic quoque nocte pares.

In petulantius jocantem.

NEc luſus amo nec tuos cachinnos,
Ex quibus dolor aut pudor redundat.
Irrides quaſi me meticuloſum,
Tuas quòd fugiam jocationes:
Te vito, fateor, nec abſque cauſſa.
Inſanum ſapientis eſt timere.

Ad Omphacen.

NIl prҽter pugnas, nil prҽter prҽlia narrat
Omphace, & armatos garrit inepta viros.
Quàm meliùs domuique tuҽ natiſque, relictis
Provideas bellis, Omphace, & utiliùs!
Culta ſit & caro placeat matrona marito:
Linum illi & fuſis grata ſit apta colus.
Lanificamque colat ſtudio ſollerte Minervam:
Quæ docet artifici pingere texta manu.
Arma vir, uxor acus tractet: Si munia mutent,
Indignê ſexum fraudat uterque ſuum.

Ad Rutilium Saraveſam I.C.

QVàm naſutus homo es! potes ruborem
Qui ſolo intuitu movere falſa
Narranti, Saraveſa: Mira res eſt
Quàm prҽſentia ſit tua impudenti
Gravis, quamque oneroſa. Maurus ille

Non

Non eſt Rhinoceros magis timendus
Cornu quod gerit eminente nare,
Quàm tuus fatuo ſolet ſubinde
Pſeudarcho eſſe aquilinus ille naſus.

In Zoilum.

PVtide perlecto frendes hoc, Zoile, verſu,
Et tacita demens ringeris invidia.
Non mihi Lampſaciis laſcivit charta figuris:
Nuda nec in noſtris eſt Venus ulla libris.
Heic nihil admixtũ eſt, quod tetra calumnia carpat:
Si neſcis, mores noſtra papyrus habet.
In corium alterius mordacem, Zoile, dentem
Exerce: huic quod vis eſca cadaver erit.

Ad Fortunatum Hugonium Brixianum, de morte Sfortiæ filii ejus.

SFortia natus erat, riſuque agnoſſe tenello,
Et blando lętum cœperat ore patrem.
Re fortunatus poteras ut nomine dici,
Gaudia nî pueri funere rapta forent.
Sed benè ſucceſſit: ſic te, Silene, fatemur
Mygdonio doctè his inſinuaſſe Midæ.
Optima res homini eſt non naſci: proxima, ſi te
Naſci Fata velint, quàm citò poſſe mori.

In Domitii Faini, & Lælii Cleopaſſi obitum.

POrta vetus, Dòmiti, tua novit buſta: minaci
Quà Phryx Antennor ſpectat ab arce vadum.
Appula te, Læli, tellus malè fida carinis
(Gargani objecta eſt quà Illyris ora) tegit.

Aſt ego nec vivus nec mortuus hæreo: tanquam
Cernitur in Sipylo qui lacrymare lapis.
Alterutri eſſe cinis poteram benè junctus: Amicis
Quę venit orba ſuis, vita dolenda venit.

De ſeipſo.

VÆ mihi miſero, meos amicos
Si dum mors rapit id mihi imputatur.
Væ mihi miſero, quòd orbus illis
Vitam continuo labore duco.
Qui deinceps mihi vis amicus eſſe,
Sis cautus moneo: ut leonis antrum
Vulpes non ſubiit, quòd illa nulla
Huc veſtigia cerneret redire.
Invidet mala mors meis amicis.
Nemo amicitiam meam recepit,
Quem non læſerit illico: recenter
In Antenoris urbe ſæva peſtis
Dilectum mihi ſuſtulit Fainum.
Lentulum mihi, Proſperumque ademit:
Titum ſuſtulit, atque Apollodorum,
Alfonſumque, Veturiumque preßit:
Dilectumque magis meis ocellis
Tellus Appula Lælium peremit.
Langueo tamen omnibus ſuperſtes,
Vivo nec ſimilis ſepulto, at inter
Infelicem animam trahens dolores:
Infelix, mihi quòd mori negetur:
Infelix magè, quòd meos amicos
Dum mors ſuſtulit, id mihi imputatur.

Ad Hieronymum Capovaccium, Medicum Patavinum.

MAgne Machaonię Capovacci gloria gentis,
Quem penès eſt vitę mortis & imperium,
Cui conceſſum animas furvis Acherontis ab undis
Vertere, & ad ſuperum ducere poſſe jubar.
Ecce tuo jam bis data nobis munere vita eſt.
Namque Vienna tua ſedulitate valet.
Sed magis effulſit tua Virtus, quando miſelli
Deplorata mei fata Myconis erant.
Sciverat abſentem te mors, qua luce Fainum
Suſtulit, in cujus funere concidimus.
Ille tua mecum ſi viveret arte ſuperſtes,
Servatis poteras tu Iovis eſſe loco.

Ad Petrum Lepidum Metenſem.

GAllica quę lepido cecinisti carmina verſu,
Tam benè nominibus conveniente tuis,
Defuncti Manes placidè accepére Faini,
Et quę Antennoreo clauditur urna ſolo.
At licet Elyſiæ potarit flumina Lethes,
Mortales curet functa nec umbra modos:
Illa tamen tales non aſpernatur honores:
Cur non & cineres ultima dona juvent?
Non mihi id officium ſoli, ſed magna ſepulto
Pars dabitur, cujus nomine, pręſtiteras.
Immortalis amor, qui me devinxerat illi,
Conſimili effectu me facit eſſe tuum.
Si me propriè ames, illum quoque pectore toto
Poßideam, Lepidi jure Fainus erit.

In effigiem Herculis & Omphales.

DVm clava & poſitis calathos Tirynthius armis
Tractat, & ad Lydę juſſa tremit dominæ:
Et tibi ſollicitus morem gerit, alma Dione:
Erigit Idalio quanta trophæa Deo!

Fritillo inſcriptum.

DVlcia ſollicito fallis quicunque fritillo
Otia, tum ſortis ſis memor ipſe tuæ.
Tempora laſcivæ impendis dum cara Vacunę,
Excubat ante tuas en Libitinà fores.

Ad Lentulum Ventidium.

DVm ſumptus facis ut tuam augeas rem,
Lucrum te facere haud potes negare.
Audit, Lentule, jure fœnerator,
Qui damno alterius replet locellos.
Si vis colligere, eſt tibi ſerendum.

De Maria Aubria uxore ſua.

NAta Rhodo & Latiæ flos ſelectiſſime Romę,
Tam tenerê quondam Fulvia amata mihi:
Tuque Philippa vale, atque mihi dilecta Melantho,
Dignę omnes Phœbo, propicioque Iovi.
Iam veſtris nolem thalamis hæſiſſe, quod olim
Spondebat Cypria cum genitrice puer:
Aubria Boiſſardo nam deſponſata marito eſt.
Ite peregrinæ nunc procul ite faces.
Sola meum commiſſa mihi premat Aubria pectus.
Sola Marilla meis præſideat thalamis.
Filiolum eſt enixa mihi, qui pignore certo
Externo nunquam me ſinat igne rapi.

Ergo

Ergo valete: vehat vos laudibus Itala tellus.
Boiſſardo placeat ſola Marilla ſuo.

De quatuor orbis partibus.

ARtium genitrix, ſcientiarumque
Europa ut fuit, eſtque, eritque ſemper:
Serum ſtamine fulgido celebris,
Et dente Indo Aſia eſt, odoribuſque.
Auro fertilis atque margaritis
Eſt, & murice dives Afra tellus.
Balſamum Americi legunt, piperque:
Thus & zinziber, & fragrans amomum.

INSCRIPTIONES NONNVLlæ, quę inſcribendæ erant Marſaliæ, in arcubus triumphalibus, altaribus, ſtatuis, & tabulis, in adventu Ducis Epernonii.

In Arcu triumphali, ante Vrbis portam.

Sub ſtatua Honoris.

HAnc tibi pro meritis lauri de frunde coronam,
Præmia Virtuti debita, ſacrat honos.

Sub ſtatua Famæ.

MActe animo: titulos ad cœlum gloria tollit:
Quæque tibi ſurgit neſcia fama mori.

In arcus frontiſpicio.

OBruerat bellis Celtas civilis Enyo:
Atque inteſtinis Gallica regna malis.
Laus erat in ſanctos ferro ſævire penates,
Et patriç armata perdere tecta manu.
Nil nec conſilio reges potuere, nec armis
Conferre attritis viribus auxilii.
Donec felici te Iuppiter extulit ortu,
Solamen Gallis tempus in omne tuis.
Mitia queis poſitis procuras otia telis,
Cláraque devicto Marte trophæa locas.
Pacifico effuſi cives gratantur: & ipſe
Turgus pro te publica vota facit.
Sponte ſua tellus merito tibi lilia promit,
Atque novis domino floribus halat ager.
Et te Marſalii ſervatorem urbis & orbis
Acclamant: & io lęte triumphe canunt.

Inſcriptum Arcui, inter ſtatuas victoriarum.

Perpetuæ ſecuritati.

IAno Ludovico Valletæo Epernonio Duci,
Pedeſtrium ord. Gallicor. magiſtro vigilantiſsimo,
Prudentiſsimo moderatiſsimoque Principi:
Quem cœli benignitas,
Henricique III. Galliar. Regis Chriſtian. providẽtia,
Sæculo felici
Marſalienſium Vrbi rectorem dedit,
N. N. in urbis præfectura
illius vicem gerens,
Civeſque omnes,
Qui ſe nomini ejus in perpetuum colẽdo obligarunt,
Publi.

Publicè-votis ſuſceptu,
Vnanimo conſenſu,
Virtuti ac memoriæ ejus DD.

Ad dextram arcûs triumphalis partem, ubi Napęæ & Najades Duci lilia & flores offerunt.

Tibi lilia plenis ecce ferunt Nymphæ calathis.

SIcut ab Eoo conſurgens Delius ortu
Illuſtrat radiis latè ſola picta coruſcis:
Adventu ſic noſtra tuo viridaria frundent;
Atque novis halant vernantes floribus horti.

Ad ſiniſtram: Vbi Fauni Ducem quernâ coronant corollâ, & Dryades illius laudes decantant.

Semper honos, nomenque tuum, laudeſq; manebunt.

VIctrices ut fronte geris, Djs proxime, lauros,
Quas tua regali poſſedit munere Virtus:
Cingimus ecce tibi civili timpora quercu:
Eſſe hoc ſervandum memor ut ſis pignore civem.

Adſcriptum ſtatuę Ducis, qui habitu Neptuni a Glauco paludum Marſalienſium Deo, aquarum gubernacula recipit.

EN tibi noſtrarum, Iuvenis, moderamen aquarũ:
Te duce eant placidis noſtra fluenta vadis.

Sub ſtatua Iovis Galliam bellis civilibus fulminantis: ſub perſona Glauci.

DVm mala tempeſtas Gallos divexat, & angit,
Mi pro Neptuni numine tutor eris.

Ad ingreſſum lõgæ porticus egregio opere cõſtructæ: Dux in tribunali ſedens, officium Senatûs & populi Marſalienſis recipit.

VT patris patriæ capias, mitiſsime, nomen,
Devotum effuſa ſpectas cum plebe Senatum.
Qui tibi ſe, dulceſque lares, agroſque feraces,
Et quicquid ſervant cari patrimonia ſacrant.

Ad finem porticûs, ſub ſtatua Religionis.

SE tibi committit Divorum cultus, & aræ:
Sacraque, quę patrius myſtica ritus habet.
Grata erit hæc pietas Superis: horumque favore
Adjicies rebus robora firma tuis.

Ante portam Palatii: ſub ſtatua Vrbis.

SVſcipe ſervandam caris cum civibus Vrbem:
Atque hęc æterna mœnia pace bea.

Ibidem: ſub ſtatua politiæ, volumen legum patriarum tenentis.

NOſtra ſuas leges Reſpublica poſsidet: illa
His poſcit tutor juſtus ut eſſe velis.

In Aetnam ardentem, ventis & tempeſtatibus circum agitatam: Symbolum principis:

ADVERSIS CLARIUS ARDET.

INſano rabidi feriant licet agmine venti,
Omniaque horrendo quaſſa fragore crepent:
Inconcuſſa manens adverſis clarius ardet,
Et duplicat vires ignibus Ætna novis.
Sic quiſquis meritis ad ſummum vectus honorem eſt,
Sæpe malos ſola proſperitate movet.

Con-

Conſtanti tamen ille animo perdurat,& illam
Temnit: quam Virtus concitat, invidiam.

In Deambulacro: ubi tabula ingens erecta erat: in qua Henricus III. Galli. rex ſceptrum, diadema, & lilia Chriſto ſervatori ſacrat.

PAcata eſt domito quòd per te Gallia Marte,
Atque tuis quòd Rex floreat auſpiciis:
Ille tuas donis onerat ſolennibus aras:
Idcircoque juvans diceris eſſe pater.
Et ſacrat nitido tibi candida lilia flore,
Quæ tua ſemoto fulmine dextra gerat.
Dona placent: Galli, poſthac ſperate quietem:
Placato arrident florea ſceptra Iovi.

In eodem deambulacro: in alia tabula: in qua Deus orbem terrarum Principibus moderandum comittit. Galliis Henricum III. præficit: Henricus verò Epernonio Duci Auſtraſiam tradit gubernandam.

ARbitrio e cœlis totum dum temperat orbem
Iuppiter, Henrico Gallica regna dedit.
Dumque amplas ſceptri Henricus partitur habenas,
Cultam Epernonio tradidit Auſtraſiam.
Quàm benè, ſumme Deûm, proviſum eſt omnibus! ille
Te propria, hic regem dum bonitate refert.
Securis gaudere licebit poſtmodo Gallis,
Æternùm his quibus eſt pax data Principibus.

DISTICHA, QVÆ TABVLIS ET iconibus adſcripta ſunt.

Ioſephus & Phutiſaris uxor.

DEperit Hebręum juvenem Mareotica conjux:
Arguit & raptu veſtis adulterium:

Tarquinius & Lucretia.

Deſine vim thalamis, ſcelerate, inferre pudicis:
Exſilio quam tu, ſed luet illa nece.

Suſanna: caſtê & Chriſtianê.

Omnia ſervaſti: vita eſt integra: nec antè
Pręda Semiramis eſt tua forma procis.

Sophronia: caſtê ſed non Chriſtianê.

Dum Decii ferro vitata libido fatiſcit,
Caſta quidem es, pietas ſed tibi victa jacet.

Lucretia: nec caſtê nec Chriſtianê.

Tarquinii fruſtra vim ſanguine corrigis: ille
Laudatur, ſupereſt qui ſine cæde, pudor.

Diana & Endimion.

Caſta licet Latmum nocturno Delia curru,
Vt ferat amplexus Endimionis, adit.

Venus & Adonis.

Vt gerat heic humeris habilem coryton & arcum,
Secteturque feras Cypria, fecit amor.

Pallas & Mercurius.

Mercurio Sais liquidi ad Bobeidos undam
Fama refert placidum conſeruiſſe femur.

Iardanis & Hercules.

Robuſto

Robuſto teretes minuit dum pollice fuſos,
Invicti Alcidę Iardanis arma gerit:

Procris & Cephalus.

Dona tuę tibi ſunt, Cephale, haud ſatis æqua Dianę:
Quæ tingat proprio hæc ſanguine Procris erit.

Latona & ruſtici Lycii.

Scommata & impurę meritò convitia linguæ eſt
In Lyciis ultus Iuppiter agricolis.

DISTICHA, QVÆ CORONIS TRIumphalibus Petri Lepidi Metēſis adſcripta ſunt.

Quercus.

Qui preſſos forti defendit robore cives,
Illi pro meritis querna corona datur.

Laurus.

Lemniſcata tegit victorum timpora laurus:
Hoc celebris Virtus creſcere Honore ſolet.

Oliva.

Victor Olympiaco qui pulvere certat, Olivam
Sudoris precium ſi potiatur habet.

Palma.

Palma triumphales ornat celeberrima currus.
Hoc precium Virtus majus habere nequit.

Myrtus.

Virginibus Paphiam Cypris dicat aurea myrtum
Pręcingit flavas qua nova nupta comas.

Lilia, vitis, & populus.

Lilia Iunoni, vitis pergrata Lyæo eſt:
Herculeas cingit populus alba comas.

INDEX TITVLORVM LIBRI.

ABrahamus Faber Typographus 331.377.
Abrahamus Ortelius 338.352.
Adrianus Chenerus 110.
Adrianus Valerinus 162.
AElia Zabarella 292.
Alardus Quintulus 24.169.217.319.329.
339.344.355.363.377.392.
Alphonſus Ayalla 299.
Ad amicos 109.314.340.363.364.370.377.
Amoralia Sabina a Rya 206.
Anatollius Pollio 320.
Angelica Malipira 315.
Anna N. 388.
Anna Bellæa 293.
Andræas Crotoſſius 19.
Anna Culmanna 189.
Anna Haſſonvillæa 272.
Anonymus 182.
Antinomus 375.
Antonia Lycæa 382.
Antonius Caſſius 351.
Antonius Paſcharius 297.
Antonia Bercina 282.
Arnus 360.374.379.
Aper decoctor 325.

B.

Baſilius Charondas 155.159.161.241.
Beatrix Vergeya 312
Bernardinus Paternus. 78.

C.

Cæcilius 391.
Cæciliana 331.
Carolus V.Rom.Imp. 268.269.
Carolus Renaldus 191.298.374.
Caſimirus Ringravius 199.
Chilo. 36.83.110.193.219.261.380.
Claudius Antonius a Vienna 270.
Claudius Bourgæus 376.
Claudius Sartorius 299.
Clavennas Homuncio. 225.
Cocus & Vetula 354.
Cotylus 336.
Crumena Serica. 365.

D.

Dioniſius Lebæus Batillius 371.
Ditmarus Ciſlebius 302.382.
Domicius Fainus. 91.97.148.149.155.232.283.
284.285.286.287.313.

E

Effigies Amymones 324.
Effigies Faini. 91.233.
Effigies Herculis & Omphales. 398.
Effigies Lælii Cleopaſſi 390.
Effigies Iac.Paſcharii 373.
Effigies Pauli Meliſſi 365.

Effi-

Effigies Petri Lepidi 391.
Effigies Nic. Reuſneri 370.
Effigies Veturii Leontii 390.
Eliſabetha Dorothæa Ducis Bipontini filia. 311.
Eriphyle 393.
Europæ 4 nationes. 332.

D.

Fabianus a Dhona 11.133.387.
Fabius Tænias 165.
Ferrucius Nodinotus 194.
Fluviorum deſcriptio 49.
Fortunatus Hugonius 395.
Francus Apollodorus 177.290.
Franciſcus Malarmæus 282.
Franciſcus a Rya 269.
Franciſcus Loyſius 372.
Franciſcus a Vienna 136.273.314.
Franciſcus Villerus 194.
Fridericus N. 388.
Fridericus Caſimirus Com. Pal. Rheni dux Bavariæ 310.
Fridericus Leſſotæus Stebleus 287.358.
Fritillo inſcriptum 398.
Fucus 361.363.384.385.392.
Fulvia Læta 214.
Fuſcus. 171.260.303.331.347.358.385.394.

G.

Gabriel Dieſpachius 295.

Gedeon a Vienna 138.
Georgius Bertinus 370.
Georgius Cæcilianus 31.334.350.364.388.
Georgius Gernerus 343.
Gongylus. 329.337.358.364.

H.

Helena a Rya 271.
Henricus Magnerus 297.
Henricus Sueberus 201.368.
Hieronymus Capovaccius 289.397.
Hugo Babelus 275.
Hugo Dordonæus 222.299.
Hypocrita. 338.

I.

Iacobus Chaſſignetus 296.379.
Iacobus Codræus Clarius 26.
Iacobus Monavius 82.
Iacobus Paſcharius 67.71.145.237.
Iana Bolæa 313.
Ianno Beretina 292.
Ianantonius Vcelinus 229.
Iacobus Santalbinus 12.73.
Iacobus Soliacus Aſſaracus 140.273.
Ianus Delaberus 47.
Ianus Vpilio 117.
Impius 227.
Importunê jocantes 351.
Ingrati 153.

Inſcri-

Inſcriptiones Marſalienſes in adventu Ducis Epernonij 399.
Ianus Aubrius 221.
Ioanna Babela 279.
Ioan. Comes Pal. Rheni, Dux Bavariæ & Biponti. 1.3.58.59.90.129.198.265.309.311. 312.368.
Ioannes Com. Pal. Rheni filius 310.
Ioannes Braconerius 186.
Ioannes Eſchefeldius 227.
Ioannes Laſicius 316.
Ioannes Lobetius 348.
Ioannes Poſthius 143.
Ioannes Pornæus Piementa 247.
Ioannes Ringravius 199.
Ioannes Rocoſſovius 19.
Iulia Aubria 295.
Iulia Iſſa 359.
Iulius Boiſſardus. 301.302.

L.

Lælia Braſſæa 337.
Lælius Clæopaſſus 22.28.105.150.151.158.168. 244.276.314.316.321.324.341.346.355.359. 380.390.395.
Lamia 182.339.341.342.346.
Langæus 354.358.359.
Laura 373.
Laurentius Friderus 189.
Laurentius Magnerus 111.
Lea puella 364.

Ad Lectorem. 126.264.306.
Lentulus Ventidius 100.240.288.320.326.327.
333. 398.
Leonardus Vncius 382.
Ad librum ſuum 127.307.366.
Linus Sagatius 87.342.347.350.
Lippus 84.85.328.342.
Livia Martucia. 332.
Livia Veturii filia 176.
Livius Algerius 88.
Loisa Vienna 204 316.
Ludovicus Malarmæus. 15.76.210.328 381.
Ludovicus Mouſtellius 63.
Lupus a ruſticis captus 357.
Lyda Patavina. 337.
M.
Mæra fluvius. 224.
Magdalena Gueldriç dux 131.310.
Maledicus 332.378.
Margites 360.
Marcus Antonius Varanus 180.218.340.387.
Marcus a Rya 269.
Marcus Claudius a Rya 134.
Marcus Foſcarinus 166.
Margaris Boiſſarda 281.
Maria Aubria 260.398.
Maria Eliſabetha Ducis Bipont. fil. 311.
Maria Lepida 293.
Maria Ragueria 270.
Matthæus Cognetius 343.
Medi-

Medicus 381.
Michael Slavata 136.
Ad Muſam 196.
Michael Cormæus Paxius. 35.

N.

Nais 323.
Nicolæa a Vienna 204.316.
Nicolaus Clemens Luxovienſis 179.
Nicolaus Clemens Trelæus 299.388.
Nicolaus Goullonus 357.
Nicolaus Houllonius 337.
Nicolaus Reuſnerus 122.123.
Nicolaus Taurellus 33.
Nicolaus Tentruſius 378.
Nicolaus Villerus 113.
Nitidius Pancrus 216.
Nydartus 36.358.

O.

Octavianus Cleopaſſus 277.314.
Odoardus Bizetus 188.203.
Omphace 334.354.361.381.393.
Orbis partes quatuor 399.
Orlandus Laſſæus 352.
Otho Henricus Dux Brunſvigæ 132.
Otho Ringravius. 199.

P.

Pantaleon Candidus 212.349.369.
Paulus Aloyſius Amanus 341.356.392.
Paulus Cavallerius 219.
Paulus Cimettus 336.340.

Paulus Corteſius
Paulus Meliſſus 355.
38.60.142.207.
215.234.246.255.315.319.325.327.332.351.358.
360.372.383.
Perona Gereſmia
Plautia Pylæa 205.
Philautus 356.
Philippus Cario 168.
340.344.376.386.
Philippa Lazæa 49.164.173.174.175.291.317.318.
335.
Philo Vinitor
Pholoë 117.
Phorbus 315.
Phyllis 334.385.
Petrus Aretinus 328.
Petrus Friderus 302.
85.170.226.248.249.
Petrus Lepidus 29.64.187.218.326.336.353.381.
387.397
Petrus Monavius
Petrus Ronſardus 248.300.
Petulantius jocantes 274.
Polydorus Marinus 394.
Pomponius Ricius 287.
48.323.344.345.346.
Pontia
Ponticus 360.
Priſcus 362.364.
Proſper Ventidius 4.
Pyretus 288.325.
Pyrrha. 343.374.383.393.
372.389.

Quin-

Q.

Quinctius Lætus. 384.

R.

Raguſſus Blævius 214.
Richartus Boiſſardus 77.
Richartus Malarmæus 281.
Rinholdus ab Heyden ſtein. 99.243.
Robertus Fevinus 345.
Rutilius Saraveſa. 159.262.321.322. 389.

S.

Sabina Amoralia a Rya 206.
Samuel Aubrius 294.
Schalæ Faini 230.
De ſeipſo 95.96.98.330.339.396.
Sfortia Hugonius 277.395.
Silvia Rizza 333.
Silvia Zabarella 292.
Simon Cliverus 99.103.
Simon Roverus 257.
Sphinx 338.
Stephanus Vialardus. 195.

T.

Taræus 357.388.
Theobaldus Boiſſardus 278.
Theodorus Zozimus 290.
Timandra Raphais 157.
Titus Celſus 335.
Tobias Hombergerus 211.
Topheus. 338.339.341.

V.

Valentinus Grevius Bacſarcus. 291.
Veturius Leontius 153.276.322.330.361.
380.390.
Vitus Vinſhemius 252.
Volfgangus Dux Biponti 266.
Volfius Munzerus 288.
Votum Neptuno. 330.

X.

Xantippe Taræi. 286.

Z.

Zoilus. 329.385.395.

ERRATA.

Pagina 11. linea 15. babat l. balat. p. 18. l. 1. indonea l. in idonea p. 21, l. 28. audicia l. audacia. p. 27. l. 10. Cui l. Qui. p. 28. l. 13. Parcæ l. Parce. p. 32. l. 19. perticipem l. participem. p. 42. l. 20. culpa l. culpæ. p. 87. l. 3. confondas. l. confundas. p. 104. l. 6. attenuenda l. attenuāda. p. 158. l. 11. illis l. illius. p. 171. l. 2. abitione l. ambitione. p. 236. l. 16. Æternùm l. Æternam. p. 251. l. 24. Theutoneque l. Theutonemq;. p. 265. l. 13. cræbra l. crebra. p. 298. l. 8. An non hoc vivere bis vivere eſt? l. nonne hoc eſt vivere vivere bis? p. 308. l. 18. ad auræ l. ad Lauræ. p. 312. l. 28. manus. l. munus. p. 315. l. 14. capillos l. capillo. p. 318. l. 3. lōgua l. longa. p. 349. l. 6. atritida l. artritida. p. 351. l. 10. atritis l. artritis. p. 365. l. 5. oloriis l. oloris. p. 372. l. 6. facta. l. ficta. p. 373. l. 24. petulentiore l. petulantiore. p. 387. l. 27. intueris l. aſpicis heic. p. 390. l. 6. i me l. Si me.